

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Da. 14. 1

3
Orationes duæ,

PRIOR

DE STUDIO DO-
CTRINÆ PHYSICÆ, ET EO
libello, qui de anima inscri-
bitur:

POSTERIOR

DE BILE EXCREMEN-
TICIA, NUM E SVO FOLLI-
culo in intestina profusa ammisceatur
cremori ventriculi, in eadem illa benti,
suaq; ipsum contagione con-
taminet.

Habitæ & pronunciatae VVitebergæ à
SALOMONE ALBERTO Noris-
bergenfi, Philosophiæ & artis medici-
cæ Doctore & Professore
publico.

Adiuncta est QVÆSTIO, an ventriculus suo
cremore verè nutriatur.

VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich & An-
tonius Schön.

Orationes
FESTIVIO DO
KINSE
phio

FESTIVIO
CORPUS
STRA
in
h
h
h

W
L
D
h
h
h



ORATIO PRIOR

PRONVNCIATA

ANTEQVAM ORDIRETVR LI

bellum de Anima, Calend. Iulij,

niij, Anno 75.



T piè & scitè admodum dicitur à
Poëta, ἀρχὴν ἅπαντων καὶ τέλος
λαβεῖν ποιεῖ θεός: Qui enim vitæ
autor est, idem consilia, studia &
actiones illius fortunare unus po-
test, ut nobis & alijs salutare sint, modò ab ipso
agendi primordia capessamus, ac serìò nos nostraq;
regi & iuuari petamus. More igitur patrio, perq;
ueteri scholæ huius instituto fit, ut cùm ordiendæ
sunt operæ publicæ, prius coeamus in coetum & ag-
gregationem, ut ad Deum quasi manu facta preca-
tionibus ambiamus orantes: Ea uis ipsi est gratissì-
ma, ac ratas & firmas facit orantium preces, & uoti
quenq; sui compotem. Etsi uerò de auxiliij diuini
imploratione sollicitos esse oportet singulos & uni-
uersos; haud scio tamen, an perinde ut me quenquam,
cui Physicæ disciplinæ tractatio prærogatiuo suffra-
gio, h. e. de eorum sententia, qui primi censere iu-
bentur ab illustriss. & clementiss. Principe nostro, de
unoquoq; prouincijs scholasticis præficiendo, non ita
dudum decreta ac commissa est. Nam & imbecilli-
tatis ingenij mei, & doctrinæ Physicæ obscuritatis,

A 2

adcoq;

adcoq; oneris mihi impositi magnitudinis, satis mihi iam antè sum conscius, quam meopte me modulo ac pede metiri, inq; me saltem paulò diligentius, nedum acrius incipiam inquirere, ipse uirium mearum aestimator optimus.

Te igitur, Fili Dei Iesu Christe, humani generis & uniuersæ naturæ Architecte, qui coetui huic nostro, qua es φιλωθρωπία, uerè ades, te compello ueris gemitibus, suppliciter ac demissè orans, ut me hebetiore præditum ingenio, acieq; mentis retusiore, et ad secretioris naturæ contemplationem, ut uesperatilionum oculos ad illustres Solis radios cæcutientem, tui Spiritus magisterio erudias ad comprehensionem abditarum causarum, studiumq; dirigas meum ad tradendum auditoribus salutaria. Te authore ita cecidit, ut hæc mihi quasi Sparta traderetur, quã nunc tuo ingredientem auspicio iuuua, ut pro tenui parte mea eam tuear, et si ita uideatur tibi, insuper ornem, idq; omne facias ad tui nominis gloriam, ad huius scholæ decus & incrementum, ac studiosæ iuuentutis utilitatem. A uotis ad Deum initiò directis, nunc ad uos, auditores humanissimi, conuertenda est oratio, quæ quidem minimè nouum aut plausibile argumentum complectitur, cuiusmodi auditorem uel dictionis elegantia ac nitore allicere, aut differendi subtilitate demorari queat; sed plane triviale, iuuentuti tamen haud inutile, nec à meo instituto alienum. Quò minus operam ludere, aut ocio intemperanter abuti meo cuiquam uideri debeo. Etsi
non

non esse nullos in hoc coetu credibile est, qui uehementer imprudentiam meam mirabuntur, quod non dubitem in hac scena inspectante Roscio gestum agere: Quos equidem scire uelim, has dicendi partes mihi datas non raptas esse, hanc ab alijs mihi personam impositam, non appetitam, nedum priuato quodam arbitrio à me sumtam esse. Cum tæro ita comparatum sit, ut eruditioni indiuidua comes iungatur humanitas, in spem erigor non dubiam, fore ut, quæ estis humanitate, sitis me patienter audituri, quem admodum antehac alios, qua eruditione estis, attentè audiuiistis. Attentionem argumenti mei tenuitas uix postulat, emereri certè minimè potest.

Dicam igitur pauca de doctrina Physica, tum de eo libello, cui titulum D. Philippus præceptor noster nuncupauit de anima, à quo operarum inchoandarum exordium capi uolunt, qui doctrinam publicam constituunt; nonnullis initio præmissis, quæ etsi imperitiores ab hoc studio facile absterrere solent, tanta tamen non sunt, quæ excludere eosdem possint. Apud Xenophontem Socrates, Pythiæ testimonio habitus omnium sapientissimus, de percuriosis naturalium causarum scrutatoribus pronunciat satis inclementer, esse eos excordes ac planè dementes, quod ingenium pariter & tempus consumant, nimis opere desudantes in istiusmodi rerum θεωρίαι, quarum natura ingenio minimè comprehendi queat. Hinc, ut proditum est à Laertio & Agellio, assidue in ore habuisse fertur Homeri illud Odysf. 4.

A 5

6, 71

ὅ, πῆ τοῖ ἐν μεγάροισι κακόντ' ἀγαθόντε τέτυ
κτα:

Aedibus in nostris quid recti, quidue mali sit, id innuens, curiosæ illius inuestigationis rerum coelestium arcanorumq; naturæ fructum esse nullum, eamq; ad uitæ officia nihil esse necessariam. Postea in publico quotidie philosophans assidue etiam id inculcabat, quod in uerbum Lactantio abiit: τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς οὐδὲρ πρὸς ἡμᾶς. Sunt autem Aristoni etiam Physica ὑπὲρ ἡμᾶς, quemadmodum Dialectica οὐδὲρ πρὸς ἡμᾶς, sola Ethica πρὸς ἡμᾶς. Proin obediens ueteri illi præcepto nosce teipsum, Socrates non naturam uniuersitatis, quod alij sapientiæ professores facerent, neq; mundi originem, rerumq; coelestium causas, exquirebat sermonibus suis, quin ea potius esse indaganda hortabatur, quæ mores informarent, & quorum usus nobis domi esset necessarius in uita communi, & hominum inter ipsos societate. Ab eodem tandem omnis, quæ est de uita et moribus, philosophia manauit, è coelo deuocata, & in urbibus collocata, & in domos etiam introducta; ac iam tum ceptum de uita ac moribus, rebusq; bonis & malis quæri. Nam etsi ipse quoq; Anaxagorā, cuius præcipua tum tēporis erat gloria, satis diu audiuit physica profitentem, eaq; propter Aristophanes ipsum calatho imponit, & ut est contemptor philosophiæ, ἀεγὼ βατῶντα καὶ περιφρονῶντα τὸν ἥλιον deridet: tamen cum uideret in multis Anaxagoram ne sibi quidem, nedum alijs facere satis, atq; euentum adeo labori

labori inquisitionis minimè respondere, sed animos in
dubio relinqui: nihilo secius interea uel oscitanter
tractari, uel susq; deq; haberi, quæ ad rationem uitæ
bene instituendæ attinerent: abdicata nuda illa θεω-
ρίᾳ maluit nouam scholam aperire, suosq; discipulos
πρὸς τὰ πρακτικὰ deducere, quam ætatem omnem in
rebus à natura inuolutis, & litibus philosophicis con-
terere: non quòd contemneret Physicam, sed Ethicam
ei præferendam iudicaret, tanquam scrutatione
motuum coelestium, aliarumq; partium naturæ po-
tiores, homini propiores ac magis necessariam.
Quî autem poteris te perspicere, ac bene nosse, quod
Menandro interprete est, τὰ πράγματα εἰδέναι
τὰ σαυτῶ, ἢ τί σοι ποιητέον; Quomodo te-
cum habitare ipse, aut domi tuæ (quemadmodum
Socrates ex Homeri sententia censet) omnia ritè con-
ponere & administrare, nisi intelligas, quemadmo-
dum à natura subornatus in uitam ueneris, quantaq;
instrumenta habeas, ad obtinendam adipiscendamq;
illam œconomicam sapientiam Socratis, cuius ope de-
inceps possis effrenatos sibiq; præfidentes affectus in-
gyrum rationis ducere, morumq; prauitatem emen-
dare? Ad quod sanè non exiguum momentum affert
Physica, demonstrans quid sui nostrum quisq; habeat,
quæ partes quomodo frenari possint. Quare ut ma-
ximè addiscenda Ethica, Physica tamen profecto
etiam longe retroq; ponenda minimè erit. Quæ
quorsum à me dicantur omnes intelligunt. De Acad-
emicis porrò pernegantibus quicquam sciri aut
percipi

percipi posse (quorum ἑξάρχου fuerunt Arcesilas &
Carnades) nihil in praesentia dicerem, nisi commo-
ueret me quaedam ipsorum penè gigantea soboles,
quæ non ita multis ab hinc annis in castra illorum
se abdidit, uicaria uel potius succenturiata ope ipsi
naturæ bellum illatura. Non dubitauit ea inficiari
aliquas notiones esse naturæ insitas. Hoc quid est
quæso aliud, quam κατὰ λήψιν (à Stoicis ita dictam
à comprehensione eorum, quæ manibus teneri pos-
sunt) excludere, atq; è medio profligare, atq; istum
adeò abortum ueterem Iouis quodam more perfec-
ere, ac denuo parere? Si nullæ sunt mentibus homi-
num insitæ noticiæ, unde quæso ille orbis erit arti-
um, quæ Luciano sunt καταλήψεων συστήματα?
Vnde riuuli tot disciplinarum, omnis generis, si
non sunt radij è diuinæ lucis iubare in animos ho-
minum deprompti? Num fortasse erunt ex atomo-
rum Empedoclis, aut ramentorum Heracliti huc &
illuc casu & temerè concursantiū glomere? Sed enim
relictis Academicorum castris proles ista sic palam
in aliena, Epicuri nimirum, transfugarum more
transibit. Cæterum tametsi insitas esse noticias uix
tandem coactè concedit, certitudinem tamen illis de-
rogat. Quo fundamento stabilito omnis iam scientia,
qua constat ars unaquæq;, percussa protinus labefa-
ctabitur. Vtrumuis ergo statuatur, res eodem subinde
recidit, atq; unum alteri est causa sui interitus, itaq;
καταλήψια iam olim profligata è scholis, quasi
postliminio reuocatur. Quanto rectius & acutius
uocor

uacordibus illis inficiatoribus noticiarum de Deo & prouidentia, conijcit ex hoc aspectabili mundo Cicero esse Deum, cuius prouidentia ille administratur. Et in secundo de Deorum natura, omnibus innatum asserit ac ceu insculptum, esse Deos. Hoc genus sunt innumera alia, quæ ipsa natura nos scire, non tantum usus frequens & uitæ necessitas cogit. Quare execrandum & detestabilem hunc furorem in Deum palam contumeliosum, & hominum moribus ac uitæ communi periculosum refugiamus. Socrates ὑπερβολῶν illam magistrorum ignorantiam lepidè, qualis est εἰς ὅσον, & acutè arguteq; inuertit: sed nescio quomodo oblitus sui ipse se postea proprio iugulet gladio, quando asseuerat, aut nihil aut pauca sciri. Non equidem inficias imus, hominis scientiam cum ignoratione coniunctam & temperatam, ac pleraq; in natura in tam profundas obscuritatis latebras depressa ac demersa, eorumq; cognitionem tot difficultatibus obstructam esse, ut uestigando ne expediri quidem aut acie penetrari, nedum exhauriri possint. Ad quas difficultates accedit illa in iudicijs nostris post lapsum infirmitas. Primi parentes abditas rerum formas penitus perspexerunt, luculenter calentes tum consilium, tum rationes architecti in creationis opere: Nos eas nunc uix δι' εἰδ' ὅσον καὶ ἐν ἀνίγμῳ procul foris aspiciamus. Veruntamen has ipsas umbras uehementer miramur ac suspicimus, & ad usum in uita transferimus. Quod affirmat nihil sciri posse, tale est, ut nec cum re consensiat,

A S tiat,

tiat, nec secum ipsum constet, pertinetq; ad genus Phi-
losophiæ, quod ab Arcesila introductum, & ἀσύστα-
τον appellatum est, id est, quod sibi ipsi repugnat,
seq; dissoluit. Scire enim quod scias nihil, id uero est
scire aliquid: Et qui δογματικῶς ac sententiæ loco
pronunciat nihil sciri, is iam confessus est, id ipsum
scire se, quod sciat nihil, nihil amplius, quod unum
tandem excepit etiam Socrates. Cum re minimè
consentit, siquidem certitudinem κριτικῶν siue
δωάμεων κριτικῶν cludere, ac conuellere nititur.
Sunt in mentibus nostris notiones, (ἀρχαὶ Græci
uocant, & προλήψεις, itemq; κοινὰς γνώσεις, La-
tini principia, anticipationes, iudicia quædã & qua-
si pronuntiata,) non discendo comparatæ illæ, nec
studio industriaue acquisite nostræ, sed insitæ & ceu
consignatæ atq; informatæ in animis hominum, è
diuina luce scintillarum more depromptæ ac decise:
quas nemo citra atrocem Dei & hominum iniuriam
è medio sustulerit. Etsi autem in prima sua ingres-
sione, ac primis statim annis, hæsitat aliquantulum
animus, & uoluitur, ut Timæus ait, uelut torrente
quodam materiæ, necdum proferre se potest, postea
tamen in se recollectus utitur natura sua, & notio-
nes illas consopitas suscitât, detegit & explicat: mox
usu, solertia, institutione atq; exercitatione seipsis
illustriores ac confirmatiores reddit. Est præterea
in mentibus nostris λόγος seu γνώσις περὶ ἀξί-
χριστος, id est, intellectus ordinis in syllogismo debitè
concinatis membris. Hanc Aristoteles à sensuum
facultatibus

facultate deducit: sed Stoici αἰδοῦσιν ab ea, quæ
γνώσις est ἔτι πρόληψις, seuocant atq; abducunt.
Multa profectò sunt sensu aliquo comprobata, quo-
rum cognitio est certissima: Non etiam nulla ratio-
ne probabili, quæ tamen è sensibus ipsa quoq; ducta
deriuatq; sit, de quibus omnes homines solent sta-
tuere ἔτι iudicare similiter. Addo ἔτι illam rerum
notionem, quæ etsi extra sensus humanos posita, solo
usu ἔτι ex crebra effectuum atq; euentuū obseruatio-
ne habetur, ἔτι ἐμπειρία dicitur, perinde tamen rata
firmaq; est, atq; sensuum illa cognitio, ἔτι altera quæ
demonstratione uel opinione è sensibus ducta perci-
pitur, licet sorte sola uel casu deprehendatur, ac sæ-
pe diuq; quæsita, fortuito plerumq; tandem inuenia-
tur. Quo modo cognitæ sunt ἀρρηκτοὶ penitusq; re-
conditæ illæ uires purgantium, alexipharmacorum,
ἔτι eorum medicaminum, quæ sua quadam dote pecu-
liari ac formæ propria unicuiq; corporis parti aut
iuuandæ, aut ledendæ addicta creduntur.

De doctrina Euangelij constat non esse ἐπισκῆ-
τόν, quod non insit naturæ, sed sit aliunde ex arca-
no diuinitatis consilio per Filium λόγον θεῶν ἀγα-
θὸν, intima patris penetrantem, ad nos allata, nullis
quidem suffulta demonstrationibus logicis, at non
ἀναπόδεικτον tamen, uerum ἀξιόπιστον ἔτι αὐτό-
πιστον, quod Deum authorem habeat, qui ipsissima
est ueritas, cui teste Apostolo, τὸ ψεύσαθαι ἀδύ-
νατόν est. Alteram legis sapientiam insculptam
cordibus circumferimus nostris, ex ipsa natura hau-
stam,

stam, arreptam & libatam, quam propterea φυσικῶν
nominat Paulus, & Veritatem Dei, Sophocles ἀγλαῶ
πῶρ, Aristot. ἐμψυχον δίκαιον, nonnunquā λόγ
γον & ὕδρ, quendam quasi radiū de cælo nobis af
fulgentem, ipso Hespero & Lucifero splendidiorē.
Sentio me in hac quasi prolusione longius prouchi,
quā propositi ratio postulat. Quicumq; ergo ne
gat, esse noticias naturales quasdam ueras, mentibus
hominum insitas, quæ norma sunt ueritatis & cer
titudinis, quarum custos & conseruatricis est σωτηρία
ἡθικῆς: esse item aliquam ratam ac firmam doctri
nam Physicam, de multis in natura rebus, is cum se
ipso dissidat, hominum uitæ noceat, & Deum auto
rem contumelia afficiat necesse est.

Posteaquam utrosq; aculeos & ἀκαταληψίας,
& rerum naturalium despicientiæ, è iuniorum ani
mis excussimus, nunc ad propositum paulo propius
accedemus. Vox φυσικῆ ambitus est latissimi, con
tinetq; totius naturæ, sicut λογικῆ sermonis, ἠθικῆ
rerum expetendarum & fugiendarum rationem.
Sunt autem res in natura, quæ sub cognitionem ca
dunt, & circa quas Physica occupatur, duūm gene
rum: Quædam subiacent sensuum iudicio, quibus
accipiuntur ac dijudicantur: & apparent, seu per se
statim, obuiæ cuiuis, siue ratione quadam, certa
rumq; notarum indicio: sæpenumero non nisi longo
usu notandæ sunt obseruandiq; consuetudine, sensu
um magistra ac perfectrice. Aliæ penitus retrusæ
atq; abditæ sunt, quæ, quia à materiæ concretione

⊕

Et societate corporum liberae sunt, una compre-
henduntur intelligentia. Prioris generis dicuntur,
quaecumque εμφανή sunt, et αἰδητὰ seu φανερὰ
κατὰ τὴν αἰδησίαν, καὶ δοξαστὰ: posterioris quae
κρυπτὰ, ἀναίδητα καὶ νοητὰ. Circa τὰ αἰδη-
τὰ, quae materiae ita alligata atque implicita sunt, ut
absque illa ne definiiri quidem possint, unde et ἐνυλα
et ἐκ προθέσεως ὄντα appellata fuere, occupa-
tur Physica siue Philosophia naturalis et secunda.
τὰ κρυπτὰ dispersita sunt: Nam alia ab omni mole
corporea prorsus amulsa sunt, nullis obnoxia motibus
aut mutationibus, eademque uel tota ex se apta, uel
aliunde quidem pendentia, suum uero esse ipsa quoque
adepta, ut Deus et intelligentiae, simplices et abso-
lutae formae. Alia medio se habent modo, et cum
utrisque ambigunt, hoc est, formae sunt, quae etsi citra
materiam, cui innituntur, subsistere nequeunt, men-
te tamen ac ratione à corporibus abductae concipi ac
definiri, atque intelligi adeo possunt, nulla prorsus
materiae ratione habita; Cui sunt τὰ ἀύλα omnia,
et τὰ ἐν ἀφανείῃ. Priorum utpote ἀπλῶς ὄν-
των cōmētatio pertinet ad πρῶτῳ φιλοσοφίαν
siue θεολογίαν, quam et κατ' ἕξοχὴν, haud scio
an nimis gloriose, Sapientiam nominarunt. Vulgō
contra et rei per se ueritatem, et linguae proprietate-
tem duplicata uoce μεταφυσικὴ dicitur, cum sit
ἐπίσκεψις huius, quam physicae, ut sublimior, ita
prior quoque. Posteriora, quae partim νοητὰ sunt et
φανταστὰ, partim uero αἰδητὰ, cum reapse et sua
nature

natura à materia separabilia non sint, disciplinis Ma-
thematicis subiiciuntur, quas Plato diuinarum na-
turaliumq; rerum confines & intermedias statuit,
quod sempiternæ sint & immutabiles, sed in corpo-
re positæ atq; subiectæ sensibus. In tot disciplina-
rum genera τὸ θεωρητικὸν Philosophiæ Aristoteles
in ἑπτῶν μετὰ τὰ φυσικὰ diremit, tū ob rerū quas
uersant uarietatem, tum mentis quoq; dispariles in-
tentiones. Vt enim uaria sunt ea, quorum studio ca-
pimur: ita multiplex est mentis impetus atq; inten-
tio. Hic operum naturæ forma, decente specie atq;
harmonia capitur: alius animi sublimioris impulsu
ad res diuinas concitatur: Alium rursus uideas
medio contemplationis genere ductum plectumq;
impensius delectari erudito illo Mathematicorum
pulvere, atq; disciplinis, illustribus admodum illis,
& demonstrandi subtilitate certissimis. Hæc tria
sunt humanæ sapientiæ studia, tot iam seculis cele-
brata, quæ proprijs coërcita limitibus, in se tota ue-
lut in orbē conuertuntur, perq; se expetuntur, nullis
nixa huius uitæ commodis, sed sola contenta contem-
platione. Verum cum hæc non sufficerent, neq; dum
hominum utilitati satis consultum foret: addo quod
non omnes pariter ad philosophandum à natura satis
essent instructi comparatiq;, extitère, qui mentis
illius, quam πρᾶξι λέγουσιν dicunt, concitatione, orbem
reliquarum disciplinarum inferiorum conderent at-
que absoluerent, minimè quidem ociosi & ipsi, neq;
secum, ut dicitur, tantum uiuentes, sed hominum com-
modis

modis & uoluptatibus magis addicti. ita factum, ut
studia paulatim ex angustijs educta emergerent, &
auctus subinde suos capesserent. Est enim Philoso-
phia animi medicina, & animi uerò gemina opera,
in hoc prauitatis statu ἀνῆσφατεύομενα, ideoq;
medicina egentia, nimirum τὸ ὀρεκτικὸν seu ὄρμη,
& τὸ γνωστικὸν siue λόγος: quorum illud in ap-
petitu positum est, alterum in rerum scientia ac con-
templatione. Sicut ergo θεωρητικὸν τῆς φιλοσο-
φίας medetur scientiæ: ita πρακτικὸν appetitui,
quem rationi subdit moderaturq;, ne euagetur lon-
gius, & tanquam exultans, siue cupiendo siue fugi-
endo obedientiam abiiciat, rationiq; minus pareat.
Vnde illam postea in actionibus temeritatem & ne-
gligentiam nasci contingit. Quod si gemina hac ui-
& felicitate homo perficiatur, hoc est, intelligat pri-
mum docente atq; explanante λόγῳ, quid facien-
dum fugiendumq; sit, dein opere cognita etiam ex-
primat sine perturbatione animi: tum uero ad eam
similitudinem, quæ ipsi cum Deo est, mihi nonnihil
accedere uidetur. Hanc Plato ex Philosophiæ stu-
dio acquiri asserit, quam in Phædone esse dicit
ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνάτορ ἀνθρώπῳ. Nos
in Ecclesia idem contendimus, sed adiungimus illud
insuper, si ad humanæ sapientiæ studium diuini-
or altera accesserit, confirmatioq; sancti Spiritus, tum
illud præclarum ac singulare existere, id est, eam ho-
mini contingere perfectionem, cuius quidem fragi-
litas ipsius in hac uita consors esse queat. Hæc tantum
è fontis

è fontibus Israël haurienda est, aquam ministrante Spiritu sancto, qua rigata potaq; corda nostra non gustum nullum præsentiant eius perfectionis, ad quam sitibunda in hac uita aspirant. Sed iter tamen qualecunq; ad eam monstrat nobis ea pars Physicæ, quæ de anima, & huius uiribus pertractat, quam Dominus Præceptor noster inter illius planè turbulenti temporis occupationes & peregrinationes frequentes, cum aliorum amicorum, tum præcipuè generi sui Doctoris Peuceri opera adiutus coëgit in libellum, breuem quidem & puerilem, ut uidetur, at talem tamen, in quo Viuis acumen, diligentiam Velocurionis, & copiam Isennacensis à tergo reliquisse uideatur. Quid futurum fuisse censeas, tantum ocij si contigisset ipsi, ut hunc partum suum ex Vesaliij opere posteriore, in quo author seipsum uicisse creditur, & Fallopij scholis atq; obseruationibus quasi lambendo perpolire licuisset? In his Elementis autor hominem in sui ipsius theatrum atq; αὐτοψίαρ deducit, multoq; luculentius aspectabilem totius μικροκόσμου pulcritudinem ob oculos ponit, quam Æneæ clypeus Romanæ reipubl. picturam. Differit inibi primum de potiore hominis parte anima, tum etiam de uiribus, quas ipsa de sinu promit suo, uernaculis atq; ingenitis. Hæ libellum claudunt, quemadmodum illa inchoat. In medium operis sui subducit autor partem hominis ignobiliorem, corpus uniuersum, animæ ergastulum: in quo quidem accommodare se uidetur captui tyronum uires animæ non.

me non prius assequendum, quam machinae & mi-
rifica organorum oeconomia probe sit cognita, qui-
bus anima ad munia sua expedienda utitur. Corpo-
ris autem nomine ueniunt tria: ἰχώματα, ἔνορμα
τα & ἰχοντα, humores, impetentia seu spiritus, &
quae utrorumq; ceu bases sunt ac fundamenta, partes
solidae. Ex his moles corporis concinnata est, di-
uersis quidem illis, lege tamen consortij, & artissis-
mo societatis uinculo inter se iunctis. In corpore
enim μίαρ εἶναι ξύρροιαρ, μίαρ ξύμπνοιαρ καὶ
ξυμπάθεια πάντα autor est Hippocrates in libel-
lo de alimento: quo aphorismo tectè & breuitate
Laconica tria illa, è quibus corpus humanum con-
stituitur, complecti uoluit: Humores enim conflua-
unt, spiritus conspirant, solida συμπάσχοσι, si-
biq; mutuò consentiunt, ut inter se foedus fecisse, &
in amicitiam coniurasse putes omnia. Atqui in his
tribus etiam, quibus medium in libello locum dedit
autor, ab ea, quam semel instituit, εὐταξία ne latè
unguem discedit. Præmittit enim partes solidas
tanquam reliquorum duorum fundamentum: Sub-
iungit humores, qui minus procul à partium natura
absunt, & in earum substantiam mutatione facessere
possunt. Postremum locum assignat spiritibus,
quod hi ex calore attenuatis humoribus in corde, &
ab hoc profectis arterijs prodeant. Hic ordo est, hæc
πρῶτον libelli de anima, quem ordiri propediem uo-
lumus: de cuius necessitate & utilitate dicere in
præsentia institueremus, cum præsertim campus, in

B

quo



quo exultare possit oratio, aperiatur amplissimus, sed
horæ nostræ spacium prope decursum est, proinde
in has angustias ipsam compulimus. Debet autem ad
doctrinæ Physicæ cognitionem imprimis sua quæque
ualetudo inuitare, cuius tutela, quàm difficilis sit,
Elementorum illius ignaro, nemo est qui non intellis-
gat. Deinde ad medicorum artem aditum patefacit,
quæ paulo momento labaret uniuersa, nisi fulta sal-
tem principijs Physicis sustineretur. Naturam tem-
peramentorum luculenter describit; quæ uel ideo
nosse unumquemque oportet, ut si quando errore ui-
ctus, à pristino suæ naturæ statu declinauerint, eo-
dem reducat. Non est uerò dubium καὶ σὲ corporum
respondere inclinationes, & has uerò sequi de-
in animi mores externasque actiones. E uitioso enim
temperamento procedunt δὲ ὠνάμεῖς errantes, ex his
oritur illa in uitia procliuitas atque propensio, quam
institutione & arte, uel Spiritus sancti auxilio emen-
dari, καὶ ὡς εἰς ἑὸν δὲ μίσησθαι oportet. Quare Philo-
sophiæ morali doctrina de temperamentis inseruit,
sicut Physica uniuersa legibus, quibus hominum mo-
res regi oportet, ostendens quæ partes, quomodo fren-
nari possint. Etenim uerissimum est quod dicitur:
Bona Physica facit bonam Ethicam: & causæ
uirtutum in natura hominis querendæ sunt. Neque
uerò hoc silentio prætereundum, etiam orationem
physica non omnino carere posse, cum Plutarcho re-
ferente Anaxagoras Clazomenius, in natura perscri-
tanda tum temporis excellens, conciliasse perhibea-
tur

tur Pericleæ orationi, & pondus maximum, & spiritus ad tractandum populum solidiores. Neq; Cicero oratorem Physicorum expertem esse uult. Deniq; non parum doctrinæ Ecclesiæ conducit Physica. Ecquid enim de homine, de anima, eiusq; facultatibus ac diuersis functionibus, quid de imagine Dei, ad quam sumus conditi, differes, si ne primoribus quidem labris hæc tibi prius degustata, aut extremis ut aiunt, digitis attacta sit? Multa passim atq; adeo multa occurrunt rerum naturalium nomina, quorum ne uim quidem, simplicemue sententiam, nedum re trusa atq; recõdita mysteria propriè ac dextrè erues. Hinc coniuncta olim fuisse hæc studia accepimus, Theologiam & medicinam, & utranq; cum laude eximia ueteribus exercitam, hanc quidem ad corporum, illam uero ad animorum curationem, id quod sacræ literæ testantur de Esaia & Luca: Historiæ Ecclesiasticæ de utroq; Basilio, altero uerè Magno & facile omnium eloquentissimo Cæsariensi Episcopo, altero Ecclesiæ Ancyranæ in Galatia presbytero. Nolim autem uideri, quasi statuam, confundenda esse doctrinarum genera, aut in subtiliorum disputationum gyris atq; Mæandris, tanquam apud Sirenios scopulos theologo consensendum, siquidem ex illis multæ plus inanis & insolentis ostentationis habent, quàm utilitatis aut doctrinæ solidæ, ac ferè probabilibus tantum rationibus consistunt: Verum ea solum acquirenda sunt, in quibus momenti aliquid inest, cuiusmodi cum honesta quadam uoluptate &

B 2 genero

generosis animis percipiuntur. Inde metiri dignitatem doctrinae huius facile cuius licet, cum tot ac tantas utilitates longè lateq; in hominum genus diffundat.

Sed dicat aliquis, non solum in artibus quaerendam esse utilitatem necessariam, uerum animi etiam liberam quandam oblectationem. Atqui si haec nulli artium, profectò nec Physicæ, multòq; adcominus deroganda uidetur. Quia enim in explicatione naturæ inest insatiabilis quaedam ex cognoscendis rebus uoluptas. Ac ne studio multa accersere longius uidear, quid est quæso iucundius, uilius profectò haud quicquam, ortus nostri, uitæq; primordiorum consideratione? Incipit natura corporis nostri fabricam more aranei quasi ludens contexere. Quemadmodum enim is in centro sui operis quoddam uelut rude lanicium, aut glomus lini habet, huiusmodi pexæ lanæ haud absimile, è quo orsu tenuissimo retiformes uescas deducit suas, retiaq; suspendit: Simili ratione natura è ternis illis bullis, quas primis statim à conceptu diebus in medio semine digerit, spiritu facultateq; confertis, stamina uescarum in araneis æmula detexit. Ampullæ illæ pellucidæ graphis sunt, siue delineatio ac rudimentum trium principalium partium, Epatis, Cordis, Cerebri: Tenuia fila uerò ab illis deductorum Venarum, arteriarum & neruorum. Inanes capacitates siue lacunas, quæ inter stamina & fibras intercedunt, postea maternus sanguis sensim roris modo influcns infertit, molemq; perficit

perficit, prorsus pictoris exemplo, qui rudia primum
 lineamenta imaginis penicillo effingit, mox uario
 pigmentorum genere illustrat, arteq; politissima ex-
 primit. Hic scilicet est ille egregius lusus, æterna
 sapientia, architectatrice ordinis & œconomiae in
 creatione operum mundi, uerè dignus, quem etiam
 num ludit ipsa in hoc orbe, & generis humani for-
 matione ac propagatione: Ad quam Spiritus sanctus
 uidetur quasi intendisse digitum, cum in Psalmo 139.
 talem formationem hominis describit, qualia sunt
 phrygionum & limbolariorum opera, segmentis au-
 reis sericisue uestes exornantium, & acu uariè pin-
 gentium. Equidem ea est Emphasis Hebraeae uocis
 , cateroqui attalicis & phrygianis uesti-
 bus tributa. Considerate etiam mihi illam animorum
 aut uiriū potius, discretionem in suas priuat as sedes
 et uelut domicilia, qua certe nihil est elegantius, nihil
 concinnius. Ea de Timæo uulgò nota est. Mens siue
 ratio hominis pars augustissima tanquam regina præ-
 sidet in capite, quod est θεϊότατον καὶ τῶν ἐν
 ἡμῖν πάντων δεωτοῦτον, cui connexum totum cor-
 pus subesse, & parère natura uoluit, ideoq; reliquum
 habitum corporis procerum pro uehiculo capiti
 subiccit. Ne uerò ulla mortalium contagione, nisi
 quantum summa cogit necessitas, mens polluatur,
 propè quidem, sed scorsim tamen interuallo quodam
 adest in pectore iracundiae uis, tanquam ad imperi-
 um illius accipiendam. Quoties enim uel foris
 aliquid iniustam uim intentat facitue, aut intus effe-

*ra quæpiam cupiditas tumultuando obturbat, tum
 cor à ratione id annunciante uibratum, extemplo in-
 citatur ad uim illatam propulsandum, cupiditateſq;
 coërcendum, ut intestina diſſidia componantur. In-
 ferius ſubter præcordia, ubi quoddam quaſi præſepe
 ad totius corporis alimoniam extare natura uoluit,
 alligantur libidines ſiue cupiditates, tanquam as-
 greſtia iumenta. quæ quidem à præſide ratione præ-
 ſtabat procul habitare, ne ſtrepitu clamoreſq; ſuo,
 ocium, quo communi omnium utilitati ab illa conſu-
 litur, interturbarent.*

*Tam pulcram Ideam natura in nobis adumbrare
 re uoluit, τῆς τάξεως ἐν πόλει, cuius benè con-
 ſtitutæ lex uelut anima eſt, quam in externa diſci-
 plina tuentur οἱ ἄρχοντες: His adiunguntur tan-
 quam ſatellites ἔ adminiſtri ἐπικρατοὶ: utriſq; ope-
 ram nauat ſuam δῆμος ἔ multitudo infima. Ad
 tres enim animæ uires (quas εἶδη uocant ἔ μέρη)
 ἔ γυμνοικόν, θυμοειδές ἔ ἐπιθυμητικόν, ne-
 quaquam inſcitè accommodantur, tres in ciuitate
 ordines, βουλευτικόν, ἐπικρατικόν ſiue δοριφορικόν
 ἔ χειματιστικόν ſeu βάναις ἔ: tria item ho-
 minum genera, φιλόσοφοι, φιλονεκόν καὶ φιλο-
 κερδές: Plato in republ. de animæ facultatibus diſ-
 ſerens concinnè eas chordis ἔ uocibus in muſica
 comparat, Rationem tanquam reginam ſummæ chor-
 dæ loco ponens: Eam in qua irarum ardores exi-
 ſtunt, mediæ: naturam concupiſcendi, ἔ quæ uolu-
 ptate alitur, infimæ. In quo ordine ἔ diſpoſitione na-
 turam*

turam ducem sequitur, quæ similiter partem præ-
 stantissimam summo in loco, capite uidelicet statuit,
 ob dignitatem imperij. Reliquas utpote inferiores,
 eidem subijcit. Neutri enim earum summus locus
 competebat, cum sit utriusq; ea natura, ut regi &
 obsequi rationi, neutrius uero, ut eidem imperare
 possit. Νῆξ ἡ ψῆ λόγῳ ergo, id est, animi pars,
 quæ mentis & rationis particeps est & princeps,
 regit. Θυμὸς partim regit, partim regitur. Paret
 enim rationi, cui lege naturæ subiectus est, & tan-
 quam ξύμμαχῳ τῷ λόγῳ, concupiscentiam
 rationi non obedientem compescit atq; coërcet. Id
 propter locum tenet medium, cum rationis minus
 habeat atq; pars princeps, plus quàm tertia, perinde
 ut semiuocales literæ uocalibus minus, mutis plus
 habent, unde confines & intermediae utrarumq;
 statuuntur. Hic ordo etiã ἀναλογίᾳ συμφωνιῶν
 conseruat, cum θυμοειδὲς mediæ chordæ uicem ge-
 rens ad τὸ λογικὸν uelut ὑπάτω siue summā re-
 ferat διὰ τεσσάρων: (quartam uulgo dicunt,) ad
 ἐπιθυμικὸν uero, utpote quod νήτω seu imam
 chordam representat, διὰ πέντε conficiat, (quæ
 quinta appellatur.) λόγος autem ad ἐπιθυμίαν
 tanquam ὑπάτην ad νήτω, διὰ πασῶν siue octa-
 uam exhibet.

Porro quemadmodum hæ fides ad inuicem ra-
 tionem habent, & concentū efficiunt: Ita λόγῳ in
 homine, quando utrasq; inferiores uires, quibus iam
 post lapsum temeritas quædam & feritas atq; agre-

Congruentia
quaedam irra-
tionalium
partium ani-
mæ ad eam
quæ ratione
prædita est.

stis immanitas inest, θυμὸν ἔπιθυμίας, id est, affectus effrenatos sibiq; præfidentes, ἔπιθυμίας absurde concitatas libidines ad se accommodat, ac ceu in gyrū ducit, inq; modū redigit, modò laxans modò intēdēs, id quod nimium est demens, rursum quod deest ad dens, tum quædam quasi σωφροσύνη ἀνέσει καὶ ἐπιτάσει ἀρμολογία efficitur, quæ in uitæ actionibus uirtus dicitur, μεσότης τῆς ἐλλείψεως καὶ ὑπερβολῆς. Estq; secundum Theagem nihil aliud quàm σωφροσύνη τις τῶν ἀλόγων μερῶν τῶν ψυχῶν ποτὶ τὸ λόγον ἔχει. Quo Platonem, in sua illa uirium animæ ad neruos siue fides instrumentorum musicorum accommodatione, respexisse non est dubium.

Hoc genus sunt innumera alia, quæ hominis tam admirabilis fabricatio, tam solers subtilisq; partium omnium descriptio uisu consideratuq; oppidò iucunda exhibet. Si quem ex imperitiore turba, illa in medium nunc data minime afficiunt, næ ipsam sui gnauiter negligentem esse oportet: isti ego oculos et mentem Nicostrati optauerim, Cui (ut est apud Ælianum) cum simulacri Helenæ ab Heraclote Zeuxide (qui tum longè cæteris excellere pictoribus existimabatur,) aliquando inspiciundi copia fieret, animo non minus quàm oculis in eius contemplationem auidè intentus fertur aliquanto diutius perstitisse. Eum conspiciatus alius quispiam, eequidnam ibi tantopere admiraretur rogat. Ad quem Nicostratus, pictor ipse minime uulgaris, Equidem

me

me inquit haud rogares, si meos haberes oculos. Tale omnibus seculis imperitorum de oblatiis rebus iudicium fuit. Sed abundè assunt, quæ Physicarum disciplinarum studiosi cum stupore admirentur, quæ ipsos delectent, ac non oculos duntaxat ipsorum pascant, sed animos quoq; satient, dummodo non, ut Canes è Nilo bibentes, confestim aufugerint, ipsiq; adeo sibi fraudi fuerint. Multos hodie atq; adeo multos pro dolor uideas, quos peregrinatio in studijs nimio plus capit, admodum grata quidem illa perq; iucunda, at plane capitalis: quippe quæ imbecilliora ingenia pellicatu suo prorsus pessundet. Dum enim peregrinatores isti consistere, secumq; morari nesciunt, sed ambitiosa festinatione ad speciosiora subinde diuertunt, ipsi sese morantur compendio, sineq; quem consequi prægestiunt, prorsus excludunt. Næ istiusmodi πολυμαθῆς νόον οὐκ ἔχουσι, ut Democritus dicere solitus est. Hinc illæ postea perpetuæ claudicationes. Nam in uitæ perpetuitate perinde ut in studijs constare sibiipsis minime queunt. Certis ingenijs, inquit Seneca, immorari & innutriri oportet, si uelis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Proinde qui non sunt planè ἀπειροκαλοί, & serijs in rebus operam bonam ac strenuam usq; nauare didicerunt, illi μικρόκοσμον hunc, non magni illius mundi æmulum, sed Dei conditoris exemplum expressum, non foris solum tanquam magnificè extructas ædes aspicient, quamuis & hinc illico sese diuinæ sapientiæ & prouidentię

B S uestigia

uestigia offerant, sed imprimis, multoq; adeo magis interiora accuratè lustrabunt, & ad ea oculorum mentisq; acie, quoad sane humana permiserit infirmitas, penetrabunt. Quæ in hac muta scena in theatrum uniuersa produci nequeunt.

Veniamus igitur aliquando ad Clausulam, in qua nostra insistet oratio, quæ quemadmodum cœpit, ita uelut acta in orbem desinere debet. Cum ergo secundum Nestorem Homericum πάντες θεῶν χάριτες ἄνθρωποι, & nulla sapientia, nulla uirtus humana per se consistat uigeatue, nulla qualis qualis uocatio salutaris sit, diuino destituta auxilio:

Tibi Iesu Christe, quem adoramus & ueneramur λόγον θεῶν, σωαίδιον αἰδίου πατρὸς, hos meos quasi captus primos committo atque commendo: tu conatibus & laboribus meis, ut promisti omnibus te piè inuocantibus, largire felices & optatos euentus: serua huius scholæ, quæ pietatis palestra est, ἐρείπια: reple uacua subsellia, concede tranquillitatem, ut cum cætera uita commodè degi possit, tum nobis colendis exercendisq; studijs nostris ocio honesto perfrui liceat: Fac deniq; pro immensa misericordia tua, ut corpus Ecclesiæ compactum & coagmentatum membris suis, te unicum caput habeat, ac retineat infinitis seculis.

A M E N.

POSTERIOR
HABITA IN PANEGYRI
SCHOLASTICA, CVM DECLARA-
ret optimarum artium Magistros
XXXIII. eruditos & benemoratos
iuuenes Idibus Martij, Anno
M. D. LXXVI.

MULTA, VIRI CLARISSIMI, natura in sua illa œconomia corporum animantium administrat ac peragit, quorum causas, quæ nunc est acies ingenij & mentis humana, præstricta atq; retusa, ne quidem assequi cogitando, multo minus peruestigando exhaurire potest. Nam ut à coctionibus ordiamur, pars unaquæq; quæ τῆς ἐψήσεως organum est atq; ἐργασίῳ, vi caloris insiti, spiritus appulsu atq; subsidio, sibiq; ingenta temperie ac proprietate, subiectam materiam, in qua uersatur, & in quam uires exercet suas, multiplicem illam & uariam, uertit atq; commutat in quippiam unius substantiæ, sibiq; per omnia conforme: Venter quidem in candidum ptisanæq; cremori persimile: Epar in ueram sanguinis speciem, à lacteo illo cremore, non solum colore, sed uniuersa substantia plane diuersam. Et hunc finem suum natura semper assequitur, siquidem rectè habuerit, non impedita sit, neq; ipsi ante tempus alimentum ui extor-

queat

queatur. Nam quod largiorem haustum illius
uini atri, quod ex Hispania aduehitur, in nonnullis,
quorum corpora sunt εὐπορώτερον, seu textu ra-
riore. sudorem prolici uidemus subrubecum, quo non
tantum cutis perfunditur, uerum etiam inficiuntur
interulae ac lintheamina: id eo fit, quod uel assidua in-
gurgitatione haustum uinum ante tempus ex aluco
uentriculi, supra modum onusti, exturbatur, uel ab
aestuantibus praecordijs, Epate imprimis, plus iusto
uidiore raptum, conuersionem & ἀλλοίωσιν ante-
uertit, praesertim si, qui ad iecur patent aditus, soluti
fuerint, nec obstructio distributioni moram & im-
pedimentum usquam afferat. Non mirum ergo, si
uinum tum tale sudoribus profluat, quale ferè hau-
stum est, crudum scilicet, ac uix ulla ex parte muta-
tum, siquidem aqua etiam, uino multo crassior &
frigidior, in aestate paulo momento quaquauersum
diffundi sentitur, statim ac pota est, qualitateq; sua
ad unguum usq; radices ἀβρῶν permanere, ac
sudoribus similiter diffluere. Quod quidem sic usu
uenire comperimus, quoties uel ob caeli statum na-
tura clanguerit, uel uis ipsi allata sit. Aliter uen-
triculus sibi constans, uinum rubrum aequè in candi-
dum succum conuertere potest, & fortasse facilius,
atq; uiridia embammata, & pulmenta piperata siue
atra iura, ut uocant, quorum color ab albo multò ab-
est longius. Calor in Struthiocamelorum uentri-
culis, ex auro, ferro, aere constata numismata coquit
& exierit, ignis calore prorsus inexpugnabilia.

Et

Et mures, cum tantopere metallorum scobem appetant, eam concoquere, ea nutriri merito suspicari licet: quorum alios in aurarijs metallis, ob auri scrutinium non raro excidi constat. Causam illius rei Theophrastus transfert in caloris siccitatem & subtilitatem, haud scio quàm rectè, siquidem talis est, quem in foco alimus, ignis quoq; qui idem tamen minime præstare, imò ne quidem metalla calori corporum nostrorum apparare potest, ut deinceps in conueniens & salutare nutrimentum illorum commutentur. Ad hæc calor siccus iam amplius naturæ familiaris non est, sed summopere infensus noxiusq;. Proin istius rei fides penes autorē relinquenda est.

Præterea in corporibus nostris è sanguinis massa euoluuntur ac separantur excrementa, quæq; in suum conceptaculum: Fel in uesiculam Epatis subditam: Ater humor in splenem. Non raro edit & peragit natura in uno eodemq; membro opera planè diuersa. Affirmat Fernelius per Venas τὸ μεσασαίς fieri tum distributionem, tum nutritionem, hoc est, singulas utraq; ui præditas esse, & chyli cremorem in Epate comportandi, & ex hoc sanguinem in intestina refundendi, ac una communiqu; seruitutis conditione uti pariter omnes. Quo quidem pacto fient eodem tempore motus contrarij, & in uno eodemq; canali humores gemini, unus rudis adhuc, alter iam elaboratus, non tantum congregientur, uerum etiam permiscebuntur. Ne uerò ita confusi Epate denuò tradantur, uenis illis diuersas

nas tribuit naturas, diuersa desideria, quibus singula,
suum quod est, rapiant, ac diuersæ diuersa prolectent
atq; secernant. Galenus etsi non it inficias, per eas-
dem mesenterij uenas, Ἐν ἁπλοῦσι ad Epar fieri, Ἐ
sanguinis nutrimentalis παλινδρόμια: quadam
tamen Ἐ temporum Ἐ officiorum uicissitudine fieri
utranq; affirmat. Naturæ sanè nihil est negocij,
confusos humores secernere, siquidem idem ars, &
mula illius, præstare potest: ut cum aquam à uino,
hederacco poculo, aurum ab argento, cui in Electro
mistum erat, eius aquæ, quam separationis uocant,
ope secernit. Verum ἄτακτως tamen natura mi-
nimè operatur. Peractis ergo iam distributione
chyli ad Epar, distributi alteratione Ἐ sequestra-
tione, uenæ Mesenterij publico suo munere iam per-
functæ, sibi demum uacare ac subservire ipsæ pos-
sunt. Alibi Galenus κρησφύγετον quærit, nescio
quas uenas comminiscens, à caua nutritionis causa in
Mesenterium Ἐ intestina directas: quas quodego qui-
dem sciam, nullus adhuc anatomicorum etiam ocula-
tissimorum deprehendere potuit. Hoc genus operi-
bus, quæ natura edit in animantium corporibus, ac-
censeri debet illud quoq; quo de in presentia dicere
institui.

Multi statuunt Chylum Ἐ bilem pariter ferri
in intestinis, citra confusionem aut permistionem,
naturæ moderatione: planè mirabili. Etsi uerò istud
quidem in dubium minimè uocatur, utriusq; humoris
commodo deductui intestina parata esse, ac Chylum
tano

tantisper in ijs morari, dum à portæ propagini-
bus in intestina insertis, diripiatur, quod in ipso
succulentum, & ad alendum idoneum est: Bilem
autem chyli reliquias croceo colore tingere, & ab
aluo pellere: quomodo tamen sincerior bilis, infusa
intestinis, aut $\mu\acute{\iota}\xi\iota\pi$ cum chylo, quo cum uehitur,
effugiat, aut suctum direptionemq; uenarum mesen-
traicarum, quarum oscillis proxima est, eludat, id ue-
rò dicere minimè procliue fuerit. Quod si bilis
Chylo ammiscetur, iam huius massa uniuersa conta-
gione illius polluta, corpori alendo haudquaquam
amplius erit idonea. Tantum enim, tamq; enorme
primæ coctionis erratum nunquam in posterum cor-
rigitur, sed inemendabili prauitate in omnibus co-
ctionum focus duratur.

Quanquam autem hoc argumentum ab alijs fec-
rè præteritum est, quod fortasse nimis tenue esse, ele-
gantiamq; orationis respicere uideretur: tamen cum
salus nostrorum corporum sita sit in alimento pro-
bo, & ab omni labe atq; corruptela immuni, quo
sine uita erit in ancipiti, neq; perdurare diu poterit,
precium operæ facturum me confidebam, si de eo in
præsentia, pro scholæ more uerba facerem. Cumq;
in his nostris panegyribus, superiori tempore splen-
didè & copiosè dictum sit, de rebus, quæ animo cul-
tum afferunt, mentemq; informant pietati, per se
quidem plausibilibus & arduis, at orationis tamen
claritate ac nitore plus momenti adeptis, quo animis
efficacius influerent, contentiusq; eos demorarentur,
in ma

in magis triuialia & scholastica nunc me demittam,
animos audientium, grauioribus illis defatigatos, re-
laxaturus, & ipsos sibi permissurus, ut respirare pos-
sint. Vt enim sensum, ita mentem nihil perinde
afficit, atq; huiusmodi tum operarum remissio, tum
argumentorum uarietas & uicissitudo. Quod si ac-
cesserit fortè hoc quoq;, ut studiosi bonarum litera-
rum atq; artium & ipsi, audiendis nostris fructum
aliquem percipiant, id omne in lucro habebimus, &
operam hanc nostram præclare positam esse arbitra-
bimur.

Nunc ad rem ipsam accedimus, aduocatis qui-
busdam è Physicorum scholis de mistione, seu potius
confusione, quæ huc non facere nihil uidentur. Quæ-
cumq; in confusionem ueniunt, ea oportet pri-
mum habere ἀντιὸν ὑλῶν, & esse ὁμοῦλα, hoc
est, talia, quæ coire inter se, inuicemq; tempe-
rari queant: Tum etiam ἐνόριστα, quæ superficiebus
suis facile confluant atq; coalescant, ceu sunt, aqua,
uinum & similia, quæ tantum ὑγρὰ sunt, non simul
etiam γλισχρὰ siue lenta, cuiusmodi confusionem
impediunt. Nam γλισχρὰ τοῖς ὑγροῖς per sum-
ma innatant, ac dum superficiem pertinaciter tuen-
tur suam, ὄγκον tantum faciunt, molemq; adaugent.
Sic liquamen iuri non miscetur, sed ei innatat: neq;
uino oleum, quo cadi os opplemus, prohibitori, ne
muceat uinum, neu fugiat, aut exolescat. In censu
τῶν ὑγρῶν habentur, tum Chyli cremor in intestinis,
tum bilis ab epate similiter illuc relegata. Quomo-
do ergo

do ergo in intestinis congregantes ambo permistio-
nem effugient? Ut uerò maximè in uno eodemq;
uehatur canali humorum uterq;, confusionem tamen
fieri pernegant, eò quod bilis per ieiuni margines
defluat, uelut aqua per murorum parietes, neq; Chy-
lum assequatur. Quod unicum ipsi obstare humo-
rum illorum permistioni arbitrantur.

Sed adduci multò plura possunt, ad stabiliendo-
dam hanc sententiam, non minus firmamenti & ro-
boris habentia, quæ in eorum castris præsijsq; uer-
santur & ipsa. Conuincit enim experientia, natu-
ram quod semel secreuit, tanquam $\pi\sigma\iota\tau\omega\mu\alpha$, id po-
stea nunquam appetere, nedum assumere, quod ad
alendum minimè aptum sit, corpusq; & uires huius
tantum aggrauet, nisi maturè expellatur. Serum si-
ue $\delta\gamma\gamma\omega\delta\epsilon\varsigma$ $\pi\sigma\iota\tau\omega\mu\alpha$, quàm primùm uectionis mu-
nere perfunctam fuerit, renum ui per uenas emul-
gentes allectum, mox hinc detrusum in uesicam, mi-
ctu foras natura profundit. Limum sanguinis à
licne in uentriculum abiectum, per aluum dein ex-
onerat. Hac pellit etiam cibi reliquias, pituitam ui-
delicet, cuius lentore uentriculus & intestina sunt
oblita. Non aliam ob causam bilem in intestina depo-
nit, quam ut unà cum alui fecibus infernè exigat.
Deinde ratum est constansq;, unicuiq; parti sensum
quendam inesse conuenientis & aduersæ qualitatis,
cuius desiderio aut odio ipsa stimulatur. Hinc fa-
miliaria, sibiq; cognata appetit, ut ijs perfrui possit:
aliena non aliter respuit, atq; ferrum Magnes, qua
C parte

parte is Austrum afficit, quem falso Theamedem
 nuncupat Plinius. Bilis etsi uesiculae proprioq;
 conceptaculo tristis non est, sed mutua cognatione
 iucunda & amica, ex qua illa uoluptatem & iucun-
 ditatis sensum percipit: reliquis tamen partibus est
 longè infestissima, usquequaq; amara, neq; ullo be-
 nigno succo perfusa, ideoq; ad alendum omnium mi-
 nimè accomodata. Etenim dulcia quae sunt, ea diu-
 taxat nutriunt. τὰ γλυκέα ἅπαντὰ ἔσι τροφή,
 inquit Aristoteles: Et Galeno πᾶν τὸ τρέφοι
 γλυκόν. Proinde tantum abest, ut partes desiderio
 bilis teneantur, eam trahant & alliciant, ut naturali
 odio & ἀντιπαθείᾳ summè ipsam auersentur. Etsi
 enim in πικροχόλοις, & in fame rabida, quoties
 ieiunus stomachus latrat, inedia paulò diutius diue-
 xatus, bilis in uentriculo nonnunquam reperitur:
 sua tamen sponte stomachus eam non allicit, neq; ipsa
 suo sponte impetu ascendit, nisi inferioribus alui obstru-
 ctis praecordia nimio opere aestuarint. Tum enim inter-
 cluso exitu, è duodeno facile regurgitare sursum, &
 ab aestu superiorum attrahi potest, cum natura sit le-
 uior. Paucissimos reperias, quibus ab eo ramo ue-
 siculae, qui deorsum porrectus intestina adit, alius in
 uentriculi fundum paulò supra Pylorum pertineat:
 ac Vesalius id in uno tantum triremium Pontificis
 remige deprehendit. Praeter illos cuniculos alium
 anatome non monstrat, quàm etiam in Ciceronis uen-
 triculum peruenisse χολῶν ἀρχατοῦ credible est,
 quam cum noctu uomitione eiecisset, protinus leuatus
 est,

est, quemadmodum in literis ad Terentiam suam fa-
tetur. Et quod alibi queritur, se κακοςόμαχον esse,
id haud dubiè ab infusa bile est. In quorumcunq;
enim uentriculis ea sincera ac pura exuberat, eos
constat esse νοσῶντες, cum & cibum sua con-
tagione bilis deprauet, & uentriculum inquietudine
ac morsificatione continenter ad uomitionem laceffat,
& fomes sit, ac minera multorum morborum.

Præterea cum ad nodum numerosa sobole me-
senterij uenæ in intestina suis osculis desinât, id quod
Chylo benigni inest, ocys exugunt ac diripiunt,
priusquam bilis suo per intestinorum latera defluxu
Chylum attingat. Ita uenæ bilem præuertentes
cremorem chyli præcipiunt ipsi, relicta sorde cras-
siore, quam postea bilis superuentu tingit, & foras
acredine sua propellit. Postremò natura intes-
tinis multiplices gyros & anfractus, uel (ut Fallo-
pius uult) rugas transversas dedit, quæ bilis sensim
defluentis lapsum nonnihil remorantur. Chyli ma-
ior est ut moles, ita impetus quoq; : propter utrunq;
celerius intestina permeat : Moles enim supernè sua
grauitate urget : Impetus tum ab hac ipsa est, tum
etiam à uenarum suctu, quo transitus acceleratur.

Hæc sunt quæ uidentur bilis cum Chylo miscela-
lam prohibere & excludere posse : In quæ si paulo
inquisuerimus accuratius, palàm fiet, quantum ro-
boris & uirium habeant.

Quod enim bilis per latera intestinorum labi-
tur,

tur, id profectò nec confusionem auertere, nec prohibere uenarum Mesaraicarum suctum potest. Donemus sane nondum de tempore influxus bilis in intestina certò nobis liquere: hoc tamen fieri necessarium est, ut aut assiduo continenterq; aut ante Chylum, aut post hunc influat. Quocunq; tempore autem influat, Chylus ipsam præuere nequit. Si enim assiduo, aut ante Chylum influxerit, iam Chyli aduentum bilis in intestinorum aluco præstolabitur: & quia in lateribus fluit, mesaraicis uenis proxima, & suctui earum obuia erit, quæ ad internam tunicam intestinorum ἀνασομούτωα, hoc est, oscillis suis desinunt: Hæc ergo amarore suo bilis continenter laceffens & uellicans reserabit, sibiq; adeo intra ipsa aditum parabit, & quanto liquidior est & fluidior, tanto promptius etiam per exilia uenarum ora arripietur. Sin aliquanto post, quàm Chylus in intestina emissus fuerit à pyloro, bilis sese infuderit, assequetur illum similiter, mole nimium præpeditum sua, et anfractibus rugisue transversis implicitum, quò minus præproperè à uenarum osculis diripi possit. Est enim bilis tenuitate sua ad cursum admodum expedita, & uia per icium recta est, & à præcunte Chylo lubrica reddita. Quod si bilis in transitu per intestina Chylum fugientem non assequeretur, neq; perstringeret, eidem commisceri minimè posset. Nulla enim fit μίξις, uel σύγχυσις atq; coalitus, nisi ea, quæ in permistionem ueniunt, sint ἀλλήλων ἀπικὰ, hoc est,

est, cohæreant, sibi applicentur, seseq; mutuo con-
 tingant. Proinde cum ambo humores in intestinis
 concurrentes se contingant, & natura μικτοὶ sint,
 confluant etiam necesse est. Ita sanguis quoq; qui in
 tra uenas grandiores coërcetur, tum quatuor illis
 succis, ex quibus constat, tum aquoso insuper humo-
 re (ὄζζορ Græci appellant) perfunditur, quo tan-
 quam uehiculo sanguis alioqui crassus, facile & ex-
 peditè in graciles & per quàm angustas mesenterij
 & iecoris uenas permanat. Similiter πῆλῳματα
 ex partium uicio, sanguini in uenis permiscentur:
 bilis quidem flaua, cum Epar calore immodico fla-
 grat, aut folliculus fellis, uel itinera huius interclu-
 duntur, ut in aurigine: Ater uerò humor, quando
 uel in sanguine & iecore nimium exuperat, neq; to-
 tus lienis ui prolici potest, aut cum huius copia in-
 farctus lien alium excipere nequit, uel eadem tur-
 gens portionem illius refundit in uenas: uel deniq;
 cum meatus, quâ sanguinis fex deducitur, obstipatus
 est. Ut nihil dicam de Pituita, quæ in leucophlegma-
 tia è uentriculi iecorisq; cruditate genita, & ipsa in
 uenas permeat. Quibus omnibus cum sanguis in
 uenis perfundatur, quos etiam inde per multa mor-
 borum genera foras subter cutem erumpere cerni-
 mus, etiam Chylum in intestinis à bile dilui oportet.
 Neq; uerò tantum dilui, sed dilutum, contagioneq;
 bilis pollutum, necesse est à mesenterij uenis diripi,
 iecinoriq; reddi, quod uix multo negotio ab eo ex-
 cremento ante sese liberare potuit. Nam uenæ, ut re-
 liquæ

liquæ corporis particula uniuerſa, quæ ſola duce
natura reguntur, ἀπροουγέτωσ agunt, uno eodemque
ſemper modo, nullo iudicio, nulla præcognitione
aut electione: & in inedia, ſi non ſuppetat alimen-
tum, proximum quodq; quod in promptu eſt, ra-
piunt. Prædominante fame, uenæ quæ in uentricu-
lum pertinent inanitæ, mulgent ipſum: qui cum de-
ſtituatur cibo, nec habeat, quo ſe reficiat, nedum
alijs ſuppeditet, à partibus finitimis, Epate imprimis
attrahit, ſibi ut in tanta penuria conſulat, & ſe ab
improbo uenarum ſuctu uindicet. Tum ergo ſo-
licitatum Epæ, per uenas à ſe in uentriculum di-
rectas, non ſanguinem, quem tanquam reconditum
theſaurum in defectu alimenti auidius amplexatur,
arctèq; atq; accurate retinet, uerum quæ ſuperflu-
unt excrementa bilioſa, melancholica ac ſeroſa di-
mittit, quibus famelicus uentriculus & exhaustæ
uenæ ſaturentur. Cumq; hoc alimenti genus mini-
mè ſit idoneum, uentriculus & uenæ nullam uolu-
ptatis fructum percipiunt, neq; etiam reficiuntur
inde, ſed tantum languescunt, non ſecus atq; exuccæ
ſtirpes, quæ dum in æſtate ſqualida alimenti deſide-
rio tenentur, naturaliq; appetitu uehementer ſti-
mulantur, in defectu ſalutarium ſuccorum proximos
quoſq; noxios & peſtiferos alliciunt. Eum languo-
rem, & in marcidis ac flaccidis ſtirpibus uidemus,
& in nobis deprehendimus ipſi, poſt famem rabi-
dam, & uenarum ſuctum, ſi cibus defuerit. Eſi au-
tem excrementa illa bilioſa, melancholica & ſeroſa, à
puriorè

puriorē massa sanguinis, natura sequestra iam separari cœperunt, tanquam ad alendum minimè accommodata: ab exhaustis tamen uentriculo & uenis auidè arripiuntur, ut fames compescatur, & sensus suctionis leniatur. Huius rei euentum ipsa comprobat experientia. Cum igitur uenæ solius naturæ instinctu & appetitu impulsæ, plantarum ritu attrahant, internoſcendi & discernendi facultate, cuius consilio atq; prudentia regi possent, destitutæ, Chylum ex ammissione bilis deprauatum ad se allicient, & ad epar deferent: Vnde iam sequetur, Naturam temerè & absurdè agere, quæ sibi ipsa subinde inane facessat negotium, fel è massa sanguinis primum mira industria, labore multo euoluens, mox idè rursus Chylo permiscens: Adhæc quæ excremento illi conceptaculū peculiare destinari, & ex hoc meatus deferendæ bili opportunos produxerit, mox quasi oblita sui, non simul etiam attribuerit emissarium, quo corpore expurgari posset. Si enim bile subinde Chyli cremor in intestinis persunditur, exigua portio eius infernè cū fecibus exturbabitur: Reliquū omne cum chylo iccinori reddetur. Verūm haud scio, an ita pollutum sincerioris bilis contagione cremorem Epar elaborare, aut omnino etiam continere possit, cum flaua bilis cuiuscunq; parti appulsa fuerit, maxime eam agitet turbetq; atq; amaritudine sua usque stimulet ad excretionem. Tanta temeritas pariter & absurditas, etsi in solertem naturam, plane nihil eorum prætermittentem in corpore, quæ sin-

gulis actionibus opportuna sunt, cadere non potest: utriusq; tamen accusabitur, nisi uenis ἀκροσίων agentibus uelimus tribuere πρὸς αἵματι atq; iudicium, quo & separare prauum à benigno, & hoc eligere, illud respucere atq; amoliri possint: quod statuere multo erit absurdissimum. Nam quod à uenis Mesaraicis benignius in chylo attrahitur atq; exugitur, relicta fece crassiore, id nullo fit ab ipsis iudicio, nulla electione sed quia uenarum ora exilia sunt & perangusta, tantum quod Chylo succulentum & liquidum, tractuiq; adeo sequax inest, arripitur: quod seculentum uerò, crassum, siccum & terrestre, neq; admittere uenæ intra sese, neq; deducere possunt. Neq; deinceps in nutritione, quando sanguis in substantiam partis alendæ mutatione iam abiturus est, natura ex instituto aut ἐκ πρὸς αἵματι, aquosum & serosum humorem relinquit, quasi sciat alendo corpori eum minimè accommodum esse: sed quia is nullo partium calore, nulla concoctione ad densari, nec in eam σῦστασις, quæ est solidarum partiū, cogi potest, ideo elabi eum sinit, aut uaporis specie, sine sensu per intercutanea spiracula, aut sudoribus etiam perfluere. Sed cum hæc manifesta sint, & in medio posita & aperta, uerborum multitudine supersedendum est.

Ita ultro citroq;, & in partem utramq; de hoc argumento ad modum uerisimilem disputari potest. Cæterum res uidetur adhuc hærescere, nec tam constare quid fiat, quàm quid fieri oporteat. Quandoq;
cunq;

¶ eundem enim in uno eodemque canali humores diuersi
eodem feruntur tempore, ita ut mutuò sese contin-
gant, confundi eos necesse est. Facta confusione,
iam nihil salui esse Chylo potest amissa dulcedine.
Nam τὸ γλυκὺ μόνον τροφίμου: τὸ δὲ πικρὸν
ἄτροφον, sicut in ictero ferè corpus marcescere &
attenuari cernitur, bile sanguini nutrimentali intra
uasa permista, eumque corrumpente.

Nunc porro disquisitione ad id pergamus, in
quo totius rei cardo uertitur. Quid ergo fiat ro-
ges, siquidem neutrum potest citra salutis corpo-
rum nostrorum dispendium contingere, neque humo-
rum illorum in intestinis congressio, neque confusio.
Huic problemati unus Fallopius facere satis uidetur:
cui quidem minus operosum fuit, anatomicen suis
observationibus locupletare, quemadmodum Timo-
theo Milesio ueterem musicam excolere, & chor-
darum numerum in lyra adaugere. Ut enim absque
Phrynide fuisset, Timotheo artifice postera ætas ca-
ruisset: Ita absque Vesalio, & huius scholis foret,
Fallopius ἐὼ ἀκροῦ doctrine anatomicæ euectus
nunquam esset: quod met ipse ingenuè fatetur, neque
suo magistro magnum studium plurimamque operam
in eam rem conferenti, laudem istam inuidet. Mul-
tum in hominum ingenijs tempus ualet, cuius bene-
ficio, ut ortus, ita & auctus suos artes capessunt:
quod Thaletem opinor ideo σοφώτατον nominasse,
quod cuncta reperiat, eruatque, multam & uariam do-
ctrinam pariat. Est uero Fallopius haud dubiè ijs
C 5 adductus

adductus causis, in quarum percensione fortasse nimis multus fui, tum à Galeno etiam permotus, ut paulò accuratius & diligentius hoc naturæ mysterium scrutaretur. Is fellis folliculum reductæ iecinoris parti ita substernit, ut in rectis quidem animantibus, nempe in homine, ab Epate, in pronis & abiectis ad partem, à uentriculo, semper leniter comprimitur, neq; humorem felleum admittat, nisi intercluso ad intestina aditu. In quem casum prouida natura humori ab intestinis repulso, ne ad epar regurgitando remearet, quoddam quasi diuerticulum fecit, quo fel ad tempus à prætorica uia deflectens concederet, ac tantisper inibi hospitaretur, dum aperiretur intestinorum ostium. Quam in re Galeni etiam suffragium habet, qui eadem uia & attrahi bilem, & ad intestina deduci asserit. Ita ergo fel quouis tempore ad intestina eructabitur. Quoniam uerò semper exonerari illud minimè est opportunum, eo præsertim tempore, quo Chylus etiamnum in intestinis commoratur: natura meatuum deferendæ bilis implantationem, aditumq; ad intestina, ita solerter, ita affabrè parauit, ut ostiola, quibus intrò illi hiscentes aperiantur, sibi ex aduerso non responderent, sed quòdam interuallo à se inuicem abiungerentur utraq; ac exterioris quidem intestinorum tunicæ ostium elatiore, interioris uerò decliuore loco poneretur, bilisq; infusa paulò longiore reptatu inter duas proprias intestinorum tunicas flueret. Proinde Chylo onustis ac distentis intestinis, & eorum tunicis
propius

propius arctiusq; sibi applicatis, medioq; inter ipsas
itinere ab uno foramine ad alterum intercepto, bilis
appulsa aditu prohibetur. Cumq; assidua alluvione
adaucta, iam amplius in tam angusto canali sat spa-
cij non habeat, in suum folliculum interea diuertit.
Post ubi benignior Chyli cremor sorptus à uenis
mesaraicis fuerit, intestina detumescunt, seq; ipsis
redduntur flaccidiora. Tum ergo abscedentibus
rursum à se inuicem tunicis, ostiola hiant, & his in-
teriectum iter patescit. Quo tempore bilis infusa
in intestina, præterlabitur occlusa uenarum mesarai-
carum iam Chylo resectarum ora, cibi uero sordidior-
ibus reliquijs sese permiscet, & simul expultricem
uirtutem intestinorum acredine tanquam stimulo,
officij sui admonet, & ad deiectionem lacescit.

Hoc est dogma Fallopij quod ea in parte labas-
scere uidetur, qua uesiculam tantum diuerticuli gra-
tia conditam asserit, eamq; accubitu partium subin-
de urgeri, quò minus humorem continere possit.
Nam licet Vesalius etiam alicubi subdubitet, bilis ue-
siculam *ὀρεκτικὴ* institutam esse, neq; ullus eius
usus, uel saltem necessitas esse uideatur, in ijs, quibus
ductus, qui à portis iecinoris in intestina descendit,
paulò est capacior: Et animalia ac homines, quamuis
perpauci reperiantur, quibus uesicula ea deest, nihilo
secius ualetudine firma, & uita satis longa: conuincit
tamen experientia, bilem in uesicam non tantum re-
gurgitando ad exiguum tempus diuerrere, sed in eam
trahi, ac mora diuturniore exaggerari.

Argumento

Argumento sunt color bilis, quæ uisa est nonnunquam
atramenti more nitere ac nigricare: Tum topi le-
ues & friabiles in boum uesculis reperti: Ad hæc
lapides post diuturnum icterum oborto alui proflu-
uio modicarum fabarum, pisarum, aut hordei quanti-
tate exturbati. His origo è bile est: quæ si proprio
conceptaculo sit diutius coercita, nec maturè expur-
gata, nec alluione nouæ diluta ac renouata, loci ca-
lore sensim exarefacta obdurataq; perinde in lapis-
dem cogitur, ut lentus & crassus humor in renibus.
Ad hæc cystis copia bilis distenditur in iugulatis pec-
cudibus, in ijs, qui ante mortem diu non possunt, aut
non uolunt etiam cibum assumere, & qui κατ' ἐνδ' ἐξ
ὀπ' ἀπογία στίωρ interisse putantur, quamuis pos-
se hoc fieri, contra Erasistratum Galenus neget, ratio-
nibusq; minimè futilibus conuincat. Nec in foetibus
adhuc utero abstrusis, inanis & prorsus exhausta
est uesicula: qui ut per os minimè alantur, de dis-
sectionibus tamen liquet, uentriculos eorum nequa-
quam ignauos & feriatos iacere, sed sanguinem ma-
ternum exquisitius subigere, inq; cremorem lacteum
elaborare: cuius reliquæ sunt in intestinis & alui
sentina excrementum, quod editi in lucem egerunt,
copiosius & liberalius, quam pro modo corporis.
Quòd si ab accumbente Epate uesicula semper com-
primitur, quæ nam quæso fit, ut in embryonibus quoq;
bilis in intestina non cructetur, stercusq; propellat,
siquidem portæ iecinoris materni sanguinis per ue-
nam umbilicalem affluxa supra modum turgent, sub-
ditamq;

ditamq; uesiculam urgent? Itaq; non tantum diuer-
ticulum bilis est uesicula, uerum etiam eiusdem con-
ceptaculum.

Sed ut eò reuertatur oratio, unde coepit digre-
di, tam artificiosa πόρωρ χοληδ'όχωρ in intestina
insertio, satis documenti esse potest, quam amans sit
natura nostri generis, quanta prouidentia omnia in
œconomia nostrorum corporum administret, quæ fel
è suo utriculo intestinis prius illabi non patiatur,
quam quicquid benignioris succi Chylo inest, id om-
ne mesenterij uenæ depeculatæ fuerint, ne forte
illius contagione alimenti nostri commeatus, penitus
corrumpatur, cæteroqui multò deterior, quam qui
reparare, pariq; bonitate restituere queat id, quod
caloris ui, exercitijs, & laboribus, insensibili perspi-
ratu defluxit.

Ita Chylum, rudimentum futuri sanguinis à la-
be & contagione bilis liberare possumus. Sed de Pi-
tuita quid dicendum, cuius lentore, tum uentriculus
tum intestina interna sui facie delibuta sunt, con-
crescente ex crassa & tenace cibi natura, & uentri-
culi intestinorumq; imbecillitate? Quid item de
fece Melancholica, quæ uentriculo infusa, posteaquam
munere elucendi ipsum à pituitæ lentore cibiq; reli-
quijs perfuncta est, ipsa quoq; in intestina deponitur?
Ut enim in carniuum elixatione sordes crassior in fun-
do ollæ sedit, quæ traiecto liquore in colo remanet:
Ita in uentriculi fundum, tanquam in sentinam, uiscia
da quædam pituita congeritur, quam exhaurit post-

ea atq; abripit secum humor Melancholicus, à sple-
ne subter infusus. Vtriusq; contagione Chylum in
intestinis, si non corrumpi prorsus, at inquinari sal-
tem credibile est. Etsi autem utraq; excrementa fel-
le multò benigniora sunt: à natura tamen & ipsa
prorsus aliena sunt, neq; ulla coctione ornatum, qui
ipsi naturæ conueniat, adipisci possunt. Quid
quod detenta diutius, caloreq; circumuenta lente-
scunt, & nisi maturè, seu sponte seu arte, infernè
exigantur, dolores pariunt acerbissimos, qui perfor-
rantis terebelli, uel infixi pali sensum præferunt.

Cæterum nec hoc ἀνώμαλον relinqui de-
bet. Est utrumq; excrementum, pituita et melancho-
lici sanguinis limus, multò crassius, quàm ut per tam
exilia, ac sensum fugientia uenarum Mesaraicarum
oscilla exorberi queat. Dein accedit ad crassitiem,
quæ per se meatus corporis infarctu suo implet, eti-
am lentor, qui uix acrimonia bilis radi atq; abstergi
potest, adeo firmiter intimæ intestinorum tunicæ
obhærescit. Sed fingamus sanè crassam ac uiscidam
sordem illam à uenis mesaraicis rapi: porro tamen
ferri haud poterit, uerùm in ipso statim aditu subsi-
stet, ductibusq; impacta uias ad epar penitus inter-
cludet, adeoq; ἀνώμαλον siue deductum Chyli per-
petuò impediet: Quod usu uenire in corporibus
animantium non comperimus.

Præterea Fallopius intestinorum, sicut uen-
triculi etiam, superficiem internam aspera quadam
tunica, imaginem staminum uillosi serici referente
obducit,

obducit, quam nonnunquam in disenterijs abscedere uideamus: Huius uillis tanquam septo atque repagulo crassa quae sunt et uiscida arcentur, tantum admittuntur intra uenas quaecumque Chylo insunt liquidiora.

Hec sunt, quibus ego quidem arbitror Chyli cremorem, qui est penus siue commeatus publicus, ad uniuersum corpus alendum necessarius, tum à bilis flauae, tum pituitae et Melancholici limi ammistione posse uindicari. Cum autem in ijs, quae sensuum iudicio minus patent, quanta sit πληροφορία scientiae neminem fugiat, et in periclitando uero uires ingenij sui alius alio plus praestare possit, ego qui aliorum accuratiores commentationes, et in quaerendo studium excitare uolui, de his ipsis, quae à me nunc in medium allata sunt, et explicatus habent difficiliore, iudiciū penes unumquemque libenter relinquo, cum quidem praeter τὴν εἰκότων λόγων ἰδύαμι μί μοι nihil proposuerim, quam in eiusmodi dogmatibus Timaeus Platonius uix excedit.

Iam nihil restat amplius, quam ut eò clausula orationis dirigatur nostrae, quo in his conuentibus scholasticis solet, nimirum ad filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, cum Patre et Spiritu sancto unum uerum Deum, in tanta rerum omnium perturbatione, collisione imperiorum, bellorumque classicis tumultibus passim gliscentibus portum atque perfugium nostrum: Quem uel hinc uehemen-

ter

ter approbare hoc nostrū uitæ genus, quasi seminariū
sue Ecclesie certò scimus, quod puerū adhuc neq; pi-
dūerit neq; tæduerit eodem, quo nos, scholastico pul-
uere uersari atque exerceri, & in Synagogis iudæo-
rum profiteri publicè: Huius ergo tutelæ & patro-
cinio commendamus scholam hanc nostram, ueræ
pietatis, uirtutum, & quæ harum magistræ sunt,
disciplinarum liberalium officinam, precibus suppli-
cibus orantes, ut huius ipse sit custos, præses, propu-
gnator: docentes pariter & discentes propitiis iu-
uet, eos sua luce & spiritu sancto regat & doceat:
ut accuratè dimensi officiorum suorum fines, ipsi in-
tra eos se contineant, non euagentur longius, neu
claudicent, sed sui quæ sunt muneris exequantur se-
dulò: illi quidem grata acceptaq; Deo, & utilia ho-
minum generi docendo, hi uero discendo, utriq; fas-
ciendo eadem, proq; parte sibi à Deo concessa am-
bitiosè persequendo, atque totius adeo uitæ curricu-
lum imprimis in numinis diuini cultu, & uenera-
tione assidua, & studio obediendi uoluntati illius
consumendo. Quod uotum omnes toto pectore
mecum suscipere, & precatione pia peragere de-
bent. Nec est cur diffidamus illorum bonorum per-
petuitati, dummodo à peccandi pertinaci proposito
destiterimus, ueniam exorantes; ac spe & fiducia
auxilij diuini nauiter præstiterimus, quod sua
quenq; muneris ratio iubet.

D I X I.

PETI.

PETITIO AD VICECANCELLARIUM, UT CANDIDATIS TITULUM & DIGNITATEM MAGISTERII CONFERAT.

A Pud Platonem discipulus quidam Dionysii Grammatici respondet Socrati, quærenti de quorundam ipsius auditorum concertatione, orta inter eos propter Geometricas quasdam figuras: ἀδολεχῶσι τοῦτοι περὶ τῶν μετρώρων, καὶ φλυαροῦσι φιλοσοφῶντες, hoc est, nugantur isti de rebus sublimibus & philosophantes garrunt. Aristophanes quoque deridens naturæ contemplationem, fingit Socratem impositum calatho, & sublatum in aërem, metiri istic culicem passus.

Eodem modo maxima pars hominum huius sæculi iudicat & sentit de his nostris artibus, quæ philosophiæ nomine continentur, esse nimirum eas nihil aliud, quàm nugas inutiles, de rebus longè captum humani ingenij excedentibus, & hominum ociosorum ac delirantium, (quos per contemptum philosophos uocant) commenta friuola, & inanes fabulas. Etsi uero usitata omnibus ætatibus, & uulgo grata ac plausibilis est hæc Cynica sapientia, quæ literarum dignitatem extenuat, & uituperat: tamen nos, qui ueræ Ecclesiæ Dei ciues perhiberi uolumus, de rebus tantis honestius sentire ac loqui decet. AC BARBARICIS IMPERITORUM UOCIBUS HÆC UERISSIMA ἄξιωμα

D

ΜΑΤΑ

ματα opponere: Artes esse eximia Dei dona, & ut
Cræsus loquitur, πηγὰς καλῶν, hoc est, normas
uitæ rectrices, sine quibus hominum societas consis-
tere nequit. Non sunt igitur inania λεπίολογί-
ματα, de quibus in Philosophia differitur, nec sunt
res parue, aut omnibus obuiæ, multò minus ociosæ
λεσχνίαι καὶ φλυαρολογίαι, quarum usus in uita
sit nullus: Id quod non solum per se est falsissimum,
& perniciosum uitæ, ac moribus: Verum etiam con-
tumeliosum aduersus Deum, qui ipse est philosophiæ
monstrator, & uestigia sapientiæ ac bonitatis suæ
impressit his artibus, quas uult communis uitæ non
solum ornamenta esse, sed & præsidia salutaria. Et
quanquam ingens est caligo mentis humanæ, con-
templantis hanc rerum uniuersitatem, perinde, ut
mendicus, cui ingressus in aulam regiam non patet,
foris spectat & miratur structuræ atq; operis con-
cinnitatem & pulchritudinem: tamen cum Æneæ
Vergiliano, rerum ignari, imagine delectemur: &
Columellæ istud teneamus, qui inquit: Magnæ rei
ac præclaræ quantulumcumq; possederis, participem
esse, non minima est gloria. Etsi igitur ualde an-
gustis spacijs cognitio nostra, omnisq; adeo sapien-
tia humana inclusa est, & secundum Aristotelem,
paucas habemus πίσεις μονίμους de rebus cœlesti-
bus, alijsque naturæ partibus: Et Socrates suam sa-
pientiam, qua uniuersæ Græciæ innotuit, nominat
ἀμφισβητήσιμον ὄναρ: tamen hæc ipsa, quan-
tumuis parua elementa artium bonarum tenere, non
solum

solum eximium & singulare decus est, sed et si dextere ad gloriam Dei, & ad Ecclesiae salutem referantur, crescunt in immensum, maximosque toti hominum societati, omnibusque uitae gradibus usus commodaque praestant. Erit uero longe commodior, nobilior perfectiorque Philosophiae tractatio ususque homini Christiano, qui non contentus riuulis sapientiae rationis humanae, longius progreditur, & ex limpidissimis fontibus Israel, per filium Dei monstratis, haurit saluberrimam aquam uitae, qua refectus & expletus, nunquam in aeternum sitiat, uitam agens in his terris piam, sed ærumnosam: deinceps uero, cum Deo, sanctisque omnibus, in coelestium bonorum usu fructuque, & leticia incredibili, beatam & sempiternam uicturus.

Hæc animaduertentes hi quatuor & triginta Candidati nostri, sedulo id operam dederunt, ut collocati diuinitus in hanc discendi militiam, cum DEO, tum reip. fidem suam atque diligentiam in grauissimo munere probarent, earumque artium scientia, se à teneris instruerent, quæ & ipsis priuatim ad uitam bene beateque instituendam, & ad inseruiendum alijs prodesse. Itaque & doctrinae coelestis, & purioris Philosophiae elementa, ordine ac recte perceperunt: Huiusque sui studij, nauataque in literis opere, ac morum integritatis specimen his diebus tale, priuatim ac publice auditi, præbuerunt Collegio nostro, ut cum spes sit, eos Reipublicæ usui atque ornamento futuros esse, digni quoque sint iudicati, quibus

summus in Philosophia gradus atq; titulus magisterij decernatur.

Quamobrem spectatis: D. Decane, Procancellicarie dignissime, & collega colende, nomine Collegij nostri, hos XXXIIII. viros doctos & honestos tuæ dignitati studiosè diligenterq; commendo: inter quos cum sint nonnulli, qui in Ecclesia Christi atq; scholis utiliter iam doceant, aliqui & Philippum Melanthonem, omnium nostrum Præceptorem, reuerendæ sanctæq; memoriæ, audiuerint: digni sunt & honorifico Collegij nostri testimonio, et bonorum omnium fauore ac commendatione. Quamobrem honoratissimi collegij nostri, & meo, & ipsorum etiam candidatorum nomine, à tua spectata dignitate, amanter peto, ut pro autoritate publica, qua in præsentia fungeris, potestatem his candidatis nostris facias accipiendi gradum & insignia Magisterij philosophici, eosq; singulos & uniuersos, in opt. artium & Philosophiæ Magistros, more in Academijs consueto, crees, ac promotos publicè renuncies. Quo officio tuo, & de Collegio nostro, & de candidatis ipsis, præclarè mereberis, & ab utrisq; tibi gratia, omni loco atq; tempore, officiosè diligenterq; referetur.

D I X I.

RESPON

RESPONSIO
DECANI.

Mvneris est nostri, non solum artes, quibus liberales atq; ingenue doctrinae continentur, scholasticis tradere, verum si qui illorum tantos in ijs fecere progressus, ut ad docendum alios iam satis idonei esse, & ad functiones utiliter emitti atq; extrudi posse iudicentur, eos etiam testimonijs publicis & commendationibus prosequi. Ea consuetudo, quod uideretur conseruandae esse memoriae, ac propagationis literarum, Ecclesiae ac Reipublicae necessariorum, coepta ab hinc multis annis ad nos tralata est.

Proinde uel hoc nomine tuae isti plane liberali petitioni, Vir Clarissime, locus dandus est. Ad idem me instigat amor meus, & uoluntatis erga candidatos propensio atque affectio singularis: Tum id merentur etiam ipsorum praecleara eruditio, & huic consentanea uita, moresq; commodi. Inprimis autem perpellit me amplissimi Collegij nostri auctoritas, quod cum candidatos nostros priuatim & publice audierit, atque explorarit, quid sui quisq; habeat, ac iudicet eos utiliter inseruicendo Ecclesiae, scholis, rebusq; publicis prodesse posse, censuit ijs conferri titulum & insignia, doctrinae & uirtuti ipsorum debita, oportere, idq; publice ac solenniter, & in hac panegyri scholasticorum, ut in his quoq; uel accendatur similis animorum ardor atq; impetus,

uel quibus modo inest, is non restinguatur, quin potius spectaculo huiusmodi, ac spe præmiorum tanquam fomite alatur. Nam spectacula non oculis solum, sed & animis efficaciter influunt: Et præmia quasi cotes sunt uirtutum, quæ in ijs, qui sciunt esse suorum studiorum conatibus parata eadem, diligentiam acuumt ad eandem metam recto cursu animi & industrie contendendi.

GRADVS.

Quod ergo imprimis Deo gloriose, dein huic scholæ honorifice, tum Candidatis ipsis bene salutariterq; cedat, ego de sententia & grauissimo iudicio Collegij nostri, ex concessa mihi in presentia prouincie & muneris autoritate, uos Candidatos, doctrina atque optimarum artium studijs eruditos, optimeq; moratos uiros, productos in hoc frequentissimum theatrum, artium ac disciplinarum atque Philosophiæ Magistros creo, creatos publice declaro, atque renuncio, in nomine misericordis Dei, æterni Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

PRIVILEGIA.

Declaratis uobis tribuo insuper ea insignia atque priuilegia, quibus hic ordo à summis Principibus singulari consilio ornatus est. Quoniam uerò maiorum instituto, publicæ huius renunciationis
pompe,

pompæ, quò celebrior esset atq; conspectior, adhibiti sunt quidam ritus, non tanquam ludicra & inepta spectacula, ad otiosam duntaxat ostentationem uoluptatè nue comparata, qualia Græcorum fuisse accepimus: sed qui adumbrarent multarum uirtutum officia, ad hunc ordinem pertinentia ego maiorum mori nihil derogans, ipse quoq; statos illos ac solennes habebo. Ac primùm uos sisto uestris præceptoribus, quibus maxima honoris, quem nunc consequimini, pars accepta ferenda est: quod liberaliter agnoscentes ipsi, cogitate tanti officij religione uos obstringi, non solum ad perpetuam obseruantiam, uerùm multoq; adeo magis ad ἀντίδωρα, non qualia degener et abortiua uiperarum soboles matri rependit suæ, sed ad ea εὐδρυγέτιμα, quæ frugi filij parentibus soluunt, aut his etiam maiora. Vt enim uiuendi solum à parentibus: ita à uestris præceptoribus benè beateq; uiuendi rationem adepti estis.

CATHEDRA.

Cathedra iam olim sedes fuit docentium in scholis, in qua ipse uos sisto Ecclesiæ, Reipubl. & scholis, ut sciatis esse suam cuiq; functionem, non libidine aut arbitrio priuato rapiendam, sed quærendam atq; expectandam modo legitimo; ac simul potestatem uobis fieri, huius sedis tenendæ, hoc est, pro muneris uestri ratione, & secundum cuiusq; loci leges publicè docendi artes, quæ non modò πηγαί κα

λόγῳ sunt, ac nerui ordinis politici, uerum etiam orna-
menta & adminicula atq; χειραγωγία ad alte-
ram illam sapientiam, quam filius Dei λόγῳ ex
arcano Patris sinu protulit. Præterea locus hic
admonet uos, tum generis doctrinæ, quod acceptum
à præceptoribus tradere debetis alijs, succincta me-
thodo & genere sermonis audientium captui ac-
commodo, nullis uerborum præstigijs aut inuolucris:
tum etiam industriæ ac fidei in docendo adhibendæ.

L I B R I.

Mox libros saniorum Philosophorum uobis pro-
pono, non propterea clausos, quod arbitrer lectione
uobis amplius non opus esse, multò uero minus, quod
uelim uos ea, quæ progenuistis ipsi, in publicum domo
afferre, (quæ αὐτοδίδακτο φιλανθία studiorum
pestis capitalis est, quippe quæ sine libris & artium
cognitione, præfidens ingenio garriendo effutiat,
quæcumq; in buccam uenire, ac plerumq; sophistæ
Aristophanici more ἅπαντα ἐναντίας γνώμας
σωταγάτη.) sed ex fontibus Philosophorum hau-
rire, quo de docendi sunt alijs, ad quorum monumenta
uos hoc ipso ritu alligo, ideoq; etiam propositos uo-
bis libros aperio. Turpe est consultum iuris sine
lege loqui, & gubernatorem politicum pro suorum
affectuum arbitrio, non ex scripto iure lites dirime-
re: Quantò uerò non turpius modò, uerum perni-
ciosius est, in cathedram aut suggestum sua quæ sunt
afferre,

afferre, neq; de dogmatibus iuxta normam pronunciare. Promde ex libris, qui ὀργῶν sunt παρ' αὐτῶν, & autorum diligente lectione, doctrina petenda, ad eos cuiusq; opiniones tanquam ad lydium lapidem uocandæ atq; explorandæ sunt. Præterea hoc ritu, nostrum de uobis iudicium alijs ostentamus, testantes Philosophorum libros uobis non ignotos esse, in quibus literas, & quæ his continentur, doctrinam bonarum artium tanquam depositum, quencq; pro sua parte uirili tueri, fideliterq; tradere oportet posteritati, si qua futura est, cuius unius causa etiam repertæ sunt, ut obliuioni subsidio esse possent.

P I L E I.

Tum impono uestris capitibus pileos, quos de Canonibus ueterum certum est fuisse olim insigne docentium in Ecclesia. Eos enim hac præcipua parte corporis, in qua est ὕψος & ἡγεμονικόν, hoc est, doctrina, consilio ac intelligentia, acumine & solertia par est emicare præ cæteris, liberaliq; eorum communicatione de hominum genere præclare mereri. Eius figura rotunda, nihil habens incisum, angulis, nihil anfractuosum, nihil eminens aut lacunosum, monet uos tum de concordia, ad cuius conseruandæ studium excitari oportet unumquencq; tum uerò atq; imprimis adeò de uita ac moribus, in quibus nihil debet esse angulosum, nihil asperum, barbaricum, absurdum, aut à literata humanitate abhorrens.

D S Quod

Quod postremum etiam color Ianthinus innuit. Non facile colorē hunc lana combibit, neq; potū fideliter citra labem tuetur: Ita doctrina, non nisi multo sudore ac iugi diligentia acquisita, breui tempore dediscitur, ni subinde frequente lectione uelut nutrita confirmataq; retineatur. Quin moribus etiam semel aspersa labes ferē inemendabili prauitate duratur, nisi studio ac doctrina eluatur. Voluit autem ingeniosa antiquitas, eos qui eruditione ac uirtute præstant, & alios docendo erudiunt, in uestitu etiam quandam grauitatem præ se ferre, & cum ea in uita ac moribus dignitatem ac honestatem coniungere.

A N N V L I.

Facio uobis etiam potestatem gestandi deinceps annulos aureos, qui ingenuitatis ac libertatis, non eius quæ licentia est planè soluta, sed legum limitibus definita, symbolum sunt. Negat Cyrus magistratu quenquam dignum esse, qui non sit melior subditis: ita ornatos scholasticorum honorum titulis, antecellere oportet promiscuæ scholasticorum turbae: à qua etiam annulo ueluti tessera quadam perinde distinguuntur, ut olim Romæ equites, atq; eorum ipsorum primores, à plebe & infima multitudine. Nemini enim nisi equiti id insigne gerere licebat, authore Liuius: qui mos ad scholas postea translatus est.

Orbis

Orbis quo in sese conuersus torquetur annulus, significat τὰ ἐγκύκλια παιδευματα, hoc est, orbem disciplinarum artiumq; liberalium, quæ uobis consecutis iam titulum Magisterij philosophici non fastidiosè abijciendæ, sed maiore subinde cultu exercendæ ac policendæ, usq; assiduo confirmandæ sunt, siquidem & personam, quam nunc suscipitis, tueri ac sustinere, & fructus laborum uestrorum etiamnum herbescentes aliquando demetere uolueritis. Plutarchus μῦσας dici uult, quasi ὁμῶς ὄυσας, quod artes, quæ ad humanitatem pertinent, commune quoddam societatis uinculum habeant, & quasi cognatione quadam inter se contineantur omnes. Ea propter pronubus hic annulus uobis induitur, ut hoc ritu cogitetis, quasi desponderi uobis Philosophiam, ac curam tutelamq; eius, non tam sua sponte, quàm desidia nostri seculi ad ruinam inclinatæ commendari: cuius mutui fœderis fides annulo ceu arabone obligatur.

Fuluus auri color commonefacit uos, tum de puritate doctrinæ, ex uiuis & scaturientibus fontibus Philosophiæ, non putidis sophistarum cisternis hauriendæ, tum de uitæ integritate: Vtraq; sunt illius honoris, quo nunc aucti estis, κάλλιστα καὶ βέλτεστάτα φυλακτέγια.

CONCLUSIO.

Postremo, ut in certaminibus olim, qui ἐραβεία & coronas, siue dimicando fortiter, siue per stadia decur-

decurrendo, consecuti fuerant, illas capitibus de-
tractas suis, in aras ante diuorum tutelarium conspe-
ctum sparserunt, testati hoc gestu, non sibi, uerum
illis accepta ferenda esse, non solum uictoriam, sed
ipsa quoq; partæ uictoriæ insignia: Ita uos decet,
non modo uestrum honorem, & has studiorum atq;
industriæ primitias imprimis Deo libare, & offerre
re labiorum uitulos, quod in studiorum stadio decur-
rentibus uobis usq; antehac præsto fuerit, eaq; ad
hanc usq; metam prouexerit: sed deinceps etiam uni-
uersum uitæ curriculum, & si quos in eo operarum
uestrarum fructus, ipso uos ita adiuuante, feceritis,
referre ad sanctissimi nominis ipsius gloriam, &
Ecclesiæ salutem. Quod uotum à uobis fieri debet
imprimis assidue, & toto pectore precante Deum
eternū patrem domini nostri Iesu Christi, unici σω-
τήρος καὶ ἀναλιπίστορος καὶ φύλακτος generis
humani, ut mentes uestras Spiritu suo erudiat, studia
et labores uestros regat ac fortunet, quo suum quisq;
locum, quem nactus est, cum decore non tueri mo-
dò, uerum etiam recta dicendo & faciendo pro par-
te sua ornare possit. Quod ut fiat, nostra quoq;
uestris respondentia uota ad Deum uniuersi & sin-
guli serio præstabimus.

Nunc restat, ut uestrum aliquis in
medium proferat aliquid, quod specimen sit ue-
stri ingenij et industriæ, ac simul ostendat in iudi-
cando non errasse Collegium nostrum.

QV AE

Q V A E S T I O

An ventriculus cremoris sui benignitate fruatur?

Recitata à renunciato Magistro Nicolao Thodæno Ditmarfo.

O ptimo & graui consilio institutum à maioribus nostris arbitror, vt in honestissimo hoc congressu & actu scholastico, secundum doctissimorum Præceptorum veluti ἑξαρχόντων voces, nobis etiam quorum gratia totum suscipitur negotium, aliquæ dicendi partes relinquuntur. Etenim in eam constituti Cathedram sumus, vbi velut ex umbra in lucem euocati, & ἐξεμβίασ cuiusdam Pythagoreæ affecuti finem, nisi Reipub. deesse, operam atq; voces nostras flagitanti volumus, nequaquam in silentio vitam traducemus. Neq; tamen ita perfuncti sumus labore omni discendi, & perfectum in modum à doctrina liberali parati, quin querere aliquando nonnulla, et aliorum audire iudicia, & conferre sententias necesse sit. Est verò in grauibus negocijs & materijs erudita σὺζήτησις huiusmodi vehementer necessaria, atq; haud scio, an eorum propria, qui doctrina sunt liberali perpoliti, & animaduersa multiplici & satis obscura rerum, de quibus querendum est, varietate & copia, didice-

1478

ἔντι μὲν ἄρ καὶ ἀποκρίνεσθαι, τὰ μὲν πείθοντες
τὰ δὲ παθόμενοι.

Itaq; cum communi competitorum nomine
& loco, hæ partes differendi in me deuolutæ sint
in præsentia: non abutar facultate concessa, neq;
eruditissimas aures vestras, Reuerendi & Cla-
riss. D. Præceptores, fortè etiam auscultando de-
fatigatas, multa prolixitate verborum, atq; per
ambages & longa exorsa morabor: sed optimam
occasionem in communem vsum conuertere stu-
debo, vt vel me vel scholam de studijs nostris, &
re aliqua vili erudiam. Nec discedam ab argu-
mento, quod modò eruditissime audiui tractari:
& amœnissimo illo naturæ hominis theatro, in
quo non pauciora neq; inferiora sapientissimi ar-
chitecti miracula, quàm in hoc ipso splèdidissimo
atq; amplissimo mundi opificio conspiciuntur.

Prædicari audio mirificam naturæ sagaci-
tatem & solertiam, quæ cum diuersissimis in cor-
pore humano liquoribus communem meatum a-
periret, impedimentum tamen quod ex eorum
permixtione metuendum videbatur, in commo-
dum conuertit, vt ex vtriculo suo per πύργου χο-
λαγωγῶν ad intestina profusa bilis, ab vtiliori
Chyli succo se interim abstineat, feces deinde &
scoriam abstergeat. Equidem sæpe mirari so-
leo, maiorem ordinis tuendi curam & diligentiam,
& firmiorem partium inter se consensum in
natura vninera deprehendi, quam in intelligenti
& ra-

Et ratione prædita. Sed nunc Chyli oblata men-
tio, de eiusdem officina & ventriculi natura me
admonuit. Nam absumpto caloris natiui fo-
mento illo, membra omnia ad hoc tanquam penus
& commune promptuariū nutrimenti respiciūt:
ventriculus suctione venarum admonitus, exinde
quā rectus est, sursum hiare incipit, & nervos in
ipso vestibulo excubantes vellicando inopiam ali-
menti indicare, commeatum quasi flagitare: Tum
verò aduectos è stomacho cibos mira aviditate
arripere, arreptos vndiq; arctissimo complexu
ambire, & strictis quasi digitis, fibris obliquis
concludere, vi insita & calore naturali alterare
atq; subigere: tandem percoctam ad convenien-
tem modum massam illam vniuersam explicatis
& laxatis in transuersum ostijs compressisq; la-
teribus protrudere, & onere se illo releuare atq;
exuere. Quam naturalium actionum seriem at-
tentius considerantibus, multiplex oboriri potest
cum admiratione dubitatio. Nam ventriculus
qui communis alimonie commeatum præstat toti
corpori, seipsum vnde nutriat, merito quæri po-
test. Fuerunt enim qui de solo Chylo ali putar-
ent, quasi eum ad hoc ipsum coquat, sibiq; præ-
cipiat, nihil indigens alimenti sanguinei, quo cæ-
tera membra corporis vtuntur. Iiq; suæ sen-
tentie ex ea quam diximus, historia naturali ra-
tiones afferunt haud contemnendas. Cur enim
appetit cibum ventriculus? cur coquit? An igi-
tur

tur τροφισίη aliquam talem attribuemus huic
veluti nutricio καὶ πρῶτα, qui deliberatō &
cum delectu hoc agat, non ut alimentum sibi ap-
petat & coquat, sed ut corporis reliqui necessi-
tatibus prospiciat atq; consulat? Quod si haud
dubiè absurdum in modum dicitur, reliquum
est, ut membro rationis experti, & δὲ ἀμέω
τῆς φύκῆς organo, nullum alium præterquam
naturalem agendi modum ascribamus: quod in
suum & quidem præsentem ac necessarium, non
alienum usum, nutrimentum attrahat, eoq; quan-
tum sibi satis in præsentia sit, perfruatur. Quam
sententiam illa etiam ratio confirmare videtur,
quod statim expleto cibus ventriculo latrare sto-
machus desinit, nec protenditur ad coctionis se-
cundæ finem inedia molestia: quod sane fieri ne-
cesse esset, nisi alimentum appetenti ventriculo
iam satisfactum foret. Ex his igitur confici vi-
detur, nutritionem ventriculi ex solo chylo esse,
& hanc ipsam in chylosi à natura huius membri
intendi principaliter. Sed hoc loco quot &
quante se obijciunt ἑσάσεε? Primum tota
nutritionis, quam generationem quandam par-
ticularem dicimus, doctrina haud dubiè recla-
mat. Quomodo enim massa talis rudior, & cru-
dior, ex diversissimis cibus leui modò alteratione
conflata, οἰκεία τροφή esse potest, & ad ἔμφυτον
ἰκμάδα ventriculi ἀνάλογον, ut appositio &
assimilatio fieri partium possit? Quod si dicas,
neruosas

neruosas illas & exuccas atq; frigidas ventricu-
li membranas sanguineo nutrimento minus in-
digere : at etiam ossa sanguinis melancholici af-
fuso humore ali credimus , quamuis aliquanto
longiore interuallo à sanguinis natura recedant.
Ventriculus verò qui in embryone, mero sangui-
ne, quem vasa vteri aduehunt, alitur, nulla tum,
vt videtur, chyli copia præsente, quomodo in per-
fecto & augescente etiam corpore, quando cu-
mulatius alimentum requirere videtur, à delica-
tiore succo ad crassam & alieniorem hanc pulvem
reijci se patietur? Quare si doctrinam de nutri-
tione inconuulsam et saluam volumus, illud axio-
ma minimè tentandum videtur, quin perpetuum
nobis, sineq; exceptione stabile maneat : omnes in
corpore partes sanguine nutriri, & eo quidem
per plurium coctionum seriem preparato, & re-
uocato quam proximè ad ipsius substantiæ co-
gnatam similitudinem. De ventriculo autem,
etiam anatome testis est, sicut arterias ab aorta
per omentum : & nervos à sexto pari neruorum
cerebri, per καρδίαια : ita venas etiam sex prin-
cipes ex vena portæ in ipsum deduci, ab ijsq; plu-
res surculos & quasi fibras aliarum enascentes,
hinc inde per vtrinq; ventriculi tunicam, ad in-
timam vsq; quam tertiam huic inuenit Fallopij
diligentia, pertinere. Etsi autem infra eum lo-
cum quo χυμωσις in epate fit, earum venarum
origo est : nihil tamen obstat, quo minus elabo-

E

ratus

ratus in epate sanguis suctu vasorum retractus,
iustum & naturæ ventriculi conueniens nutri-
mentum præbere possit. In hac igitur discre-
pantium rationum quasi lucta, doctissimos nostræ
ætatis medicos, tanquam τὸ μέσορ σοχᾶζονταε,
illam sententiam probare video, non ali ex chylo
ventriculum, sed eum refectiois saltem suæ &
quasi oblectationis causa appetere atq; elabora-
re: firmiter verò ac solidius nutrimentum ex epa-
te huic aduehi, quo vera nutritio compleatur.
Sed cum vt dixi in initio, plurium audiri sententias
plurimum referat, rogo doctissimum virum D.
Conradum Bergium, vt iudicium de re suam no-
biscum communicet.

R E S P O N S I O.

OMnes sani fateri coguntur, multa esse in na-
tura nondum satis peruestigata, vel quæ
peruestigari etiam & comprehendere acie mentis
humanæ non possunt, admirandæ sapientiæ ἡ φι-
λαυθροπίας diuinæ illustra argumenta. Itaq;
exclamans in Psalmo David, non dubitat fateri
mentem suam ad splendorem illustrium operum
diuinorum præstringi & hebescere, neq; causas
& rationem singulorum satis capere posse: Psal.
40. Multa fecisti TV DOMINE Deus mi-
rabilia TVA, & cogitationes tuas super nos
non est nostrum æstimare, præualuerunt supra
quam numerare liceat. Et Psal. 139, Confitebor
tibi,

tibi, quia stupendis modis formatus sum, & quæ
sequuntur. Procul dubio autem properata, & te-
meraria in talibus asseueratio imperitiam coar-
guit, sicut dicitur, ἀμαθία θράσος ἀπὸ γάρεσσ
ται. Sunt tamen in Physicis quoq̄, alia alijs illu-
striora: nonnulla verò etiam immotam & penè
demonstratam certitudinem habent καὶ πληρο-
φορία: multa à veteribus obscurius atq̄, infir-
mius tradita, et rudius quasi dolata, posteriorum
limauit atq̄, correxit industria. Ita enim necesse
est fieri, secundum vetus illud Sophocleum, quod
citatur apud Agellium: πάντ' ἀναπύσει χρόνος:
Item Pindari illud, ἀμέγαι δ' ἐπίλοιποι μάρ-
τυρες σοφώτατοι. De ortu uenarum hoc leue
σημῆον decepit Aristotelem, præsertim ab ob-
seruationibus anatomicis non satis instructum,
vt à corde illas deduceret, quòd ei magno hiatus
caua vena anascitur. Qua de re verior est Me-
dicorum ratio & sententia, ὅτι ἡ ῥίζωσις φλε-
βῶν ἢ πᾶς ὄσι. De humorum in corpore hu-
mano varietate, & differentia, mirificum in mo-
dum differere videtur in Timæo Plato: carnes,
quemadmodum & nervos & medullam, καὶ τὰ φύ-
σις, id est, secundum naturæ ordinem ex sangui-
ne esse, eo qui ex alimento foris assumpto in cor-
pore gignitur: contra si fiat, seu vt ipse, ὅταν ἀ-
νάπαλις ἢ ἕνεσις αὐτῶν πορεύεται, hoc est,
si accenso in partibus præternaturali calore, colli-
quetur & contabescat caro, sanguinem in venas
E 2 refundi

refundi putridum, coloribus atq³ saporibus differ-
rentem, amaritie videlicet acore & falsedine
imbutum: vnde varij generis χολαι, ἰχῶρες ἢ
φλέγματα existant, inutilia omnia corpori &
noxia: ἐχθρὰ μὲν αὐτὰ αὐτοῖς, καὶ πολέμια
τῇ φύσει, καὶ νόσων ποικίλων ὄργανα, id est,
pugnancia inter se, & inimica naturæ, quæq³ va-
riè inuicem & cum sanguine permixta, multi-
plicium morborum caussa fiant. Quem in locum
accuratius & operosius inquirere, neq³ huic tem-
pori, neq³ instituto nostro conueniens est. Illud
intelligi satis est, in presentia quod intendimus:
Platonis rudes hac in parte conatus feliciter à
medicis correctos esse, quorum haud dubiè ve-
rior & rei manifestæ consentanea de humoribus
doctrina est. Distinctè enim numerant coctio-
num gradus atq³ ordines; & secundæ coctionis
humores naturales, & conueniente naturæ ope-
ratione productos discernunt ab ijs, qui naturæ
inimici sunt & corrupti, siue secundum se singu-
li, siue permixtione cum alijs viciosa: Ex natu-
ralibus verò alios alendo corpori vtilis esse do-
cent, qui in venis vehantur, alios superfluos ἢ
περιττωματικούς, qui cum in coctionibus singu-
lis naturali ratione extiterunt propter alimenti
quod assumitur dissimilitudinem, etsi nutriendo
corpori non sunt, tamen sagacissimo naturæ ar-
tificio ita secernuntur ferè, vt vsus aliquos secum
trahant corpori conuenientes: dum vel lubrici-
tatem

tatem ventriculo & intestinis necessariam conciant, vel mucorem & feces eluunt ex intestinis, vel appetitionem in ventriculo augent, & retentionem confirmant. Quod adeò verum est, ut etiam aurium sordibus vsus aliquem Cicero inuenierit, bestiolis tanquam in visco retinendis, ne irrumpere possint.

Sed ut ad tuum thema accedam, doctiss. D. Magister, amice colende, de ratione τῆς χυλώσεως & nutritione ventriculi, non puto hoc esse ex eorum genere quæ ἀκατάληπτα nominarunt, etsi rem inter ipsos medicos controuersam, variè multumq; disputatam video. Nam aut solo chylo nutriri ventriculum, aut ita hoc frui, ut vera nutritio illa dici possit, haudquaquam consentaneum vero videtur. Cuius κατάφάσεως nostræ ratioes abs te modò indicatas satis firmas & veras esse iudico. Quanquam vnā ex rationibus quibus vsus es, in dubium & controuersiam vocari video. Dixisti enim, nullam chyli copiam fieri ventriculo, dum moratur in utero infans. At recentiores anatomici affirmant, per venam seu funem vmbilici maternum sanguinem primum in portas epatis, qua hoc in λόβον hiscit, atq; ex ijs mox per venas mesenterij in ventriculum fætus trañci, atq; ibi nouam eius fieri ἀλλοίωσιν: argumento esse candidum cremorem, repertum in ventriculis abortiuum & porcellorum exēctorum. Qua ratione motus fortassis

etiam Hippocrates, infantem iam tum ore sugere existimavit. Sed non sequar ὁδὸν πᾶρεργον: itaque alieniorem à presenti instituto quaestionem praetereo. Quod si tamen deprehenditur in abortivis cremor ille, nostram quidem sententiam adiuuare videtur, tantum abest ut impediatur. Nam si alimentario sanguine quem mater suppeditat, non contentus tum ventriculus, de integro etiam alterat: quomodo diversissimarum partium chylo crudo & procul à substantia suae similitudine distante nutrietur? Respondeamus verò etiam ad contrarias, quas indicasti, rationes: ita enim res tota fiet planior. Etenim cum duo secundum Galenum veritatis firmamenta sint, λόγος & ἔργον πᾶρα: utrunq; horum etsi prima fronte aduersari nobis videtur, re ipsa tamen haud dubiò sententiae nostrae astipulatur. Experientiae quidem notissimae & publicae illud est, quod omnes norunt: oblatrantem inedia stomachum, simul atq; cibis potuq; ingestis se implevit & refersit, quiescere: Sanguineum igitur nutrimentum non videtur requirere. Logicum illud est, ventriculum, cum naturaliter appetat, sibi appetere ad defectum substantiae suae instaurandum. Fateor: verum illud quoq; non minus experientia notum est, statim à cibo assumpto, nec dum inchoata chylosi, appetentiam illam sedari. Quin igitur dicimus, de crudo succo masticati in ore alimenti ventriculum attrahere, quo stirpium in modum nutriatur? Quod quam verè aut commodè

ita

ita dicatur, quiuis facile intelligit. Ergo quo pacto
 conquiescat, et sedetur assumpto cibo fames & ap-
 petitio, ex eo intelligi potest, si in fame ventriculo
 quid accidat cogitetur. Nimirum reliquorum in
 corpore membrorum, sicut ipsius ventriculi suctio
 seu ἑδάλσις illa, quæ famem efficit, φύκῃ est,
 qualis in stirpibus intelligitur, nullo sensu con-
 iuncta: quæ contrahendo et corrugando ventricu-
 li tunicas, stomachum vellicat, & in hoc sensum
 deficientis nutrimenti efficit eum qui fames dici-
 tur. Exiccari igitur & arefieri ventriculum ne-
 cesse est, & in siccitate initio incalescere, donec
 exhausto et epoto humore omni, calor simul eua-
 nescat. Quod nisi subueniatur inopiæ, si perdu-
 ret suctio, contractis vndiq; & conquisitis è ven-
 triculo atq; intestinis vitiosis succis, καχεξία va-
 sorum rapacitatem sequitur, & inedia ἀπο-
 φία: & accidit illud quod Hesiodus commina-
 tur: λεπτή δὲ παχὺ, πόδα χειρὶ πιέζοις. Ea-
 demq; arefactio in causa est, cur sitis magis mo-
 lesta sit in diuturna inedia quàm fames: qua de
 re quærit Plutarchus in sexto Symposiacôn: ni-
 mirum quia humidus & frigidus nutrimenti ea est
 appetitio. Iam alimento assumpto, nimirum
 huic affectioni, & molestiæ omni occurritur. Ex-
 plicantur enim paulatim, & cibi mole disten-
 duntur rugæ ventriculi: refrigeratur & restin-
 guitur exæstantis caloris vis: imbuuntur gra-
 to humore tunicæ: stomachi & nervorum velli-
 catio ista compescitur: deniq; animalis ventricu-

E 4 li appe

li appetentia sedatur, qua veluti publico totius corporis ministerio fungens inopiam nutrimenti denunciat: priuata substantiæ ipsius & naturalis seu φυσικῆ nutrimenti appetitio, sicut & in membris reliquis, ante absolutam & perfectam coctionum seriem non quiescit. Hanc igitur illam ventriculi refectioem esse iudico, cuius causa cibos id organon appetit, & oblatos amplectitur atq; subigit. Nam χυλώσεως perficiendæ in fibris ipsius & naturali substantiæ vi atq; efficacia, & proprietate insita, manifesta causa est. Quod si tamen contendat quis, ideo in chylo coquendo ventriculum naturæ instinctu laborare, vt suo eum vsui præparet, indeq; quod commodum est sibi præcipere, reliquum tanquam superuacuum & inutile onus deicere atq; respicere, equidem cum vlllo hac de causa non litigabo: Modò illud constet veram iustamq; substantiæ suæ instaurationem, vt cætera membra, ita hoc etiam, ex sanguine petere. Cui rei, vt iam ad πῆγαν reuertamur, illas quas dixisti venas mesaraicas in ventriculum à porta epatis deductas, inseruire non est dubium. Nam quod obicitur venas illas cum à porta infra sanguinis officinam, quæ in Epate est, deductæ sint, ob eam rem inseruire huic vsui non posse, sed vel chylo euehendo, vel refectioibus etiam subitis potius destinatas videri: id leuius esse puto, & explicatu facile. Nam etiam intestinis nutrimentum sanguini-

guineum aduehunt mesaraicæ, quas ideo cruen-
tas & sanguine plenas in sectionibus anatomicis
inueniri tradunt artifices. Nam distributione
chyli ad Epas peracta, & distributorum perfe-
cta elaboratione, intelligi potest, vel refundi in
hæc vasa sanguinem percoctum, vel à membris
esurientibus retrahi ad sui refectiorem. Et Ga-
lenus quidem eos, qui mirentur per easdem ve-
nas & ἀνάδοσις ad Epas fieri, & sanguinem
benignum recurrere, cum aliorum naturæ operū,
tum verò roboris in attrahendo instrumentorum
nutritione egentium ignaros esse pronunciat.

Hæc ad quæstionem abs te propositam, do-
ctiss. D. Magister, habui, quæ in præsentia & pro
huius loci atq; temporis ratione responderem. Cu-
ius quidem argumenti considerationem & mihi
ipsi iucundam fuisse testor, & non ingrati-
am auditoribus esse confido: quia & homine digna est
proprii corporis consideratio, & illustre testimo-
nium dicit de sapientia & bonitate conditoris.
Picturæ etiam in natura multiplices, iucundæ
sunt & perutiles, quæ de communibus officijs, de
mutuo consensu, de ordinis tuendi cura, breuiter,
de maximis rebus eruditè nos admoneant. Quam
concinna & elegans est Platonis similitudo con-
ferentis inter se tria vitæ genera in ciuitate, &
totidem εἶδη τῆς ψυχῆς in 4. πολιταῶν. Sed
& D. Paulum illa delectauit similitudo, qua se-
pius utitur ad commendandam Ecclesiæ curam

E S CONCOR-

concordiæ, à consensu & conspiratione inter se
partium humani corporis ducta. Venter
verò corporis regem dixit Poëta vetus Qu: Se-
renus, quò rectè habente & valente, & opera-
tiones suas probè peragente, reliquis ferè mem-
bris sua constat incolumitas. Sed recito ipsius
versiculos :

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur:

Huius enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contra eiusdem franguntur cuncta dolore.

Quo modo hac similitudine in apologo de
corporis humani alio eleganter vsum esse legi-
mus Menenium Agrippam, coorta seditione po-
puli: nota est enim historia apud Liuium. Quid
si cum istius organi natura scholam conferamus?
quæ in speciem, & nomine & re, ocij fructu
beata putatur, re autem vera toti Reipub. ma-
ximorum bonorum origo & ministra est, καὶ
πρῶτὴ καλῶρ. Ac nisi pœnitet exempli, mul-
ta occurrent in collatione ista similia. Non incul-
cabo illud, de quo iam disputatum est. Venticu-
lo enim non ordinarium modò & commune nu-
trimentum, sed insuper proprium & quasi præ-
cipuum fructum cremoris sui grata & benefica
destinavit natura. Cui simile est fortassis illud
quod ait Apostolus, τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δὲ
πρῶτον τὸν καρπὸν μεταλαμβάνει. Quemad-
modum autem venticulo, ita & huic humanita-
tis

tis atq; pietatis officina non spiritu solum & calore, sed mora etiam & quiete opus est, ad iuuenim, quos complexa est, ingenia maturanda. Nec magis scite aut ingeniose intestinorum illos gyros & multiplicia volumina sagax fabricauit natura, ne δια γαστριμαργίαν ἀφιλόσοφοι ἢ ἄμυσοφοί genus humanum euaderet, ut est in Timæo Platonis: quàm hoc salutariter & sapienter prouisum est in scholis, ut per varios & continua serie se inuicem excipientes plurium artium recessus duceretur iuuentus, ut essent qui appositi olim omnibus Reipub. partibus, sano & robusto eas quasi nutrimento instaurarent. Nam qui aut perumpunt subito, aut ἀτονία quadam disfluentibus, & subinde aliò versis animis hiant, ij velut semicocti & leuiter tincti opinione quasi gustu quodam doctrinae, nunquam salubrem & solidum Reipub. praestant vsum. Quod si etiam seu fluxiones à capite crebrae & noxiae, seu subitus regurgitans mordax humor, intus turbare ceperint, seu quaecunq; labes insederit, continuò laxata contentione laboris & studij, vis caloris omnis diffunditur atq; exhalat; frigent operæ, omnia nausæ & fastidij plena: quid multa? totum Reipublicæ corpus aut macies & ἀτροφία occupat, aut tetra vitiorum onerat proluuies. Quæ res honesta & moderata ingenia flectere potest ad maiorem curam in discendo, in tuendo ordine, & moribus regendis, ut & suis rebus rectius
consu-

consulant, nec scædis vitiorum exemplis contami-
nando atq; turbando societatem scholasticam, no-
cumentum afferant rebus communibus. Profe-
rò enim fundamenta conuellunt salutis publicæ,
& sibi ipsis, multisq; alijs exitium accersunt, qui
hos cætus scholasticos odijs, inuidia, æmulationi-
bus conturbant & dissipant. Sed ne abutar
vestra in audiendo patientia, neq; diutius tempus
dicendo extraham, hîc finem facio: ac filium Dei
oro, vt hunc nobis alueolum nostrum, sanioris
philosophiæ & doctriinæ cœlestis custodem, ac pu-
blicum hætenus totius Germaniæ doctorum vi-
rorum promptuarium, quàm diutissimè, sanum,
saluum, atq; integrum custodiat, & conseruet.

D I X I.

DECANVS COL-
LEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VVI-
TEBERGENSI,

SALOMON ALBERTVS NO-
ribergensis, Medicæ artis Doct̃or, Profes-
sor publicus, Magistrorum titulum
& dignitatem ambientibus

S. D.

Pulchrior

Pulchrior è cælo species non vlla reluxit,
Quàm cùm de Nato solueret ora Pater,
S T A N S fluuij in ripa, cui Flamen more colūbæ
Vertice stat summo, cara propago mea est.
Huic tribuat gens cuncta fidem mea iussa docenti,
Quæ feret, è nostro pectore iussa feret.
A R G V I Thic sonitus, nobis oracula tradi,
Quæ captu assequitur non ratio vlla suo.
Sed sensa ex triplici proferrî arcana senatu,
In patris æterni condita sensa sinu.
Hæc iussit tabulis mandari, Et semper in illis
Filius ad cœtus fert sua dicta pios.
E R G O modos fandi, ac artes cognoscere par est,
Quæ scriptis addunt lumina clara sacris.
Quò magis est arti cura impendenda disertæ,
Dum certū est artem velle, & amare Deum.
E R G O ratas sedes, vbi munia possit obire,
Euentumq; operis, quas probat ipse, dabit.
H A C spe suffulsi nostra in statione manemus,
Et queng; officij carpere pensa iuuat.
S E D pars officij est, studia explorare iuuentæ,
An teneant artes ordine quasq; suo:
Ne temerè inuadant sacratæ munia sortis,
Vix aliqua instructi voce, sed arte rudes:
Et res in medium promant sine teste, vel vmbra,
Per quas Relligio sollicitata cadit.
Ceusubitò è terra natus grex ille Gigantum
Mouit in æternos bella nefanda Deos.

Sapè

Sæpè ducum litui Doctorem ex litibus ardent,
Et foris accendit prælia, rixa domi.

ERGO scholæ morē teneo, & dare nomina mado
Qui studij specimen fortè probare volent.

TP. In die Epiphaniarum.

Anno 1576.

INVITATIO AD SO-
LENNEM CANDIDATORVM EX-
aminationem, instituendam in
loco publico.

Quemadmodum bonus Imperator tyronem
militem suum prius ἐν μάχῃ ἑσκιαγρα-
φημύῃ (quæ est simulacrum quoddam pugnae
ad spectatoris delectationem comparatum) pro-
bè versare atq; exercere solet, quàm in aciem
ipsum educat: quò ad confligendum sit paratior,
hostiumq; impetū ac vim minus pertimescat: Ita
candidatos nostros, quos diebus superioribus in-
tra priuatos parietes audiimus, è domestica ex-
ercitatione & vmbatili, in puluerem & aciem
scholasticam, medium in agmen quarumcunque
disciplinarum artiumq; Professorum atq; Magi-
strorum, hodie producemus, ac sistemus ijs: vt
succenturiata opera agnoscant ipsi quoq; quid
candidatorum quisq; habeat sui, quo vsq; discendo
exercendoq; se processerit, quantam item spem
messis

messis de virtutis atq; eruditionis ipsius semente
in posterum sibi policeri habeant. Horum suffra-
gij persuasum est nobis, ita confirmatum iri in
iudicando sententiam nostram, vt minus alluci-
netur. Et est cur credamus, iam inde à princi-
pio horum graduum honoris, voluisse antiquita-
tem studiorum & in his progressionum explora-
tiones in propatulo, & in cœtu fieri, ne videretur
vnius paucorum iudicij arbitrij committere ea, quo-
rum inquisitio operam postulat plurimorum.
Neq; verò etiam fugit quenquam huiusmodi συ-
ζησεις (quæ sunt sermones vltro citroq; &
vicissim commeantes) mederi duobus malis, qui-
bus iuuentus inprimis obnoxia est: quorum
vnum δυσωπία, alterum ἀυθαδεία Græci ap-
pellant. In δυσωπία animus præpeditus pudore
immodico non audet sese proferre: sed in ijs
quæ meditatus est, atq; intra se concepit, velut
subsistens subinde adhærescit: In ἀυθαδεία sui
amore & admiratione præstrictus, persuasioneq;
tumens, non modò non secum moratur ipse, verùm
φροντί δ' ἄλλ' ἀμβλώσας intempestiuè ac fidenter
prorumpit, & quæ seu arripuit aliunde, seu pro-
genuit ipse, ea mordicus & arctè tenet, accura-
teq; defendit: sicut testatur experientia, istiusmo-
di ἰδιογνώμονας tantopere sibi blandiri ac præ-
fidere, vt ne admittant quidem aliorum iudicia
atq; sententias. His vitijs, si non inueteraue-
rint, medicinam adhibent disputationum crebra
exerci-

exercitia, quæ δυσωπία laborantes animant, à
subrustico illo pudore vindicant atq; exoluunt:
Contra ἀυθαδεία ferocientibus atq; exultantibus
frena iniiciunt, eosq; ceu in gyrum ducunt, vt se-
cum certare ipsi, seseq; adeo sensim vincere sue-
scant.

Quòd ergo benè vertat Deus, hodiè prima
hora postmeridiana examen aperire decreuimus,
quod pro veteri huius scholæ consuetudine, insti-
tutoq; maiorum, plus minus biduum continuabi-
tur. Si qui ergo de præcipuis Philosophiæ par-
tibus cum ijs, qui ornari cupiunt honorum scho-
lasticorum titulis, colloqui volent, id vt amicè,
comiter, sedatè, sine omni inhumanitate, & aspe-
ritate faciant, peramanter perq; officiosè roga-
mus. Συζήτησις enim non debet esse stomachosa
aut morosa σύρραξις, neq; præferre τραχύτι ἢ
δύσκολον, qualis animum eius, qui cum agis,
non modò præstringit, verùm ligat, aut abalienat
etiam, quò minus præsens esse, & in ea, de qui-
bus disceptatur, sese intendere atq; explicare pos-
sit. Non sit etiam Aristophanica σωτάραξις,
quæ ambitione quadam, & concertandi magis,
quàm veri ex instituto Philosophiæ indagandi
studio ducitur. Præterea in medium afferri
volumus problemata utilia, è saniore Philoso-
phia deprompta, quæ plano sermonis genere, sine
verborum præstigijs proposita, candidatos no-
stros erudire queant: non contorta nec spinosa, è
putidis

putidis Sophistarum lacubus hausta: multò verò
minimè futilia, in quibus planè nihil utilitatis
inest. Quæ quidem disputandi ratio φιλονεικοτέ-
ρα quàm φιλοσοφότερα, in his congressibus lo-
cum habere non debet. Hi sunt limites, quos
legitimæ disputationi ac συζητήσει pangimus:
intra quos qui se cunq; coërcuerint, non dubium
est, ad scopum propositum recta collimatu-
ros esse.

PP. IIII. Iduum Martij, Anno 1576.

Salomon Albertus Decanus.

CONVOCATIO AD PV-
BLICAM MAGISTRORVM
renunciationem.

PRædicatur apud Herodotum sapientia & mo-
destia Atheniensium militum, qui bello Persico
ante pugnam ad Plateas, Arcadibus de loco contena-
dentibus, nihil cupidè aut pertinaciter egerunt, sed
arbitrio omni Lacedæmonijs permissio, uirtute cum
illis quàm ambitione certare maluerunt, ne in publi-
co totius Græciæ periculo de priuatis rationibus &
dignitate sua uehementius contendendo, libertatem
patriæ in periculum adducerent: πάντη γὰρ τε-
ταγμένοι, inquit, πειρασόμεθα εἶναι θεοῖς,
ὁ δὲ θεὸς δὲ ὡς πεισομένω. Et si autem ἐπιει-
κῆς

F

κείσ

αει & moderatione tali re ipsa multi non delectantur, qui in publico orbis Christiani tumultu & periculo, ita pugnant ambitionibus atq; φιλοφειεία, quasi in existimatione sua publica uertatur salus, & omnibus ruentibus atq; subuersis rebus, sua ipsis dignitas possit esse salua: ut uerissimum etiam sit illud Timonis: δύο σοι χεῖρα τῶν κακῶν εἶναι, ἀπλησίαρ καὶ φιλοδοξίαρ: nos tamen qui pietatis & humanitatis studijs nomen professi sumus, æquum est optimorum exemplorum admiratores esse atq; æmulos. Quae de re admonet grauis illa uox D. Pauli, quæ semper in oculis & conspectu piorum esse debet: In hoc excellite καὶ φιλοφρονεῖτε, ut quieti sitis, & faciatis propria. Est autem uita piorum militiæ similima, in qua ita demum optimis auspicijs strenuè feliciterq; pugnat, si singuli uacuis ab ambitiosa curiositate animis, stationem eam, in qua uelut aciem instruente filio Dei constituti sunt, constanter teneant, fideliterq; tueantur. Proinde, nos etiam quibus in scholastico hoc munere contra infensissimos uitæ humanæ hostes inscitiam uidelicet atq; barbariem, assiduè dimicandum est, & facimus nostro loco quæ possumus sedulo, & gratias agimus filio Dei, qui inter magnas difficultates horum temporum luctantibus nobis, ostendit tamen subinde præsentiam suam, & efficit ne labor noster sit inanis in Domino. Significo autem in præsentia, per hosce dies ex ueteri more Academiæ publicè & priuatim auditos esse à Collegio nostro Philosophico triginta quatuor

quatuor candidatos, quorum laudabiles doctrinae
progressus & uitae inculpatam honestatem deprae-
hendimus. Quorum aliqui antehac utilem in docen-
do operam suam Ecclesiis & scholis nauarunt: &
speres est uniuersos deinceps utilia & salutaria Ec-
clesiae organa futuros. Itaque dignos iudicauimus
qui Magisterij Philosophici titulo & honoribus de-
corarentur. Cumque ueteri & pulcherrimo instituto
in publico congressu & consessu totius communita-
tis scholasticae huiusmodi honorum praemia conferr
solcant, ut pluribus innoteseat uirtus atque doctrina
ipsorum, & exemplo etiam excitetur aliorum indu-
stria: itaque renunciationi huic horam matutinam
VII, diei crastinae & locum scholasticum auditorij
maioris destinauimus: quem actum honestissima do-
ctorum uirorum atque adolescentium frequentia cele-
brari cupimus & postulamus.

PP. Pridie Idus Martij
anno eodem.

SALOMON ALBER-
TVS STUDIO S
doctrinae Physices S.

PLacuit ijs, qui reipubl. nostrae literariae ἀγιστῆες
sunt καὶ πρῶτεύοντες, iidem designatores ope-
rarum scholasticarum & doctrinae publicae arbitri,
mihi eam partem τῆς ἐγκυκλίου παιδείας, quae
F 2 agit

agit de naturæ ratione atq; obscuritate (φυσιολο-
γία) Greci appellant, hoc est, studium indagandæ
naturæ, καὶ τῶ φυσικῶν πραγμάτων) com-
mittere, discedente hinc Dn. D. Hieronymo Schal-
lero, qui cum laude sua & audientium profectu ana-
nis superioribus eam professus est, uir de his studijs
præclarè meritus. Dedi ergo hoc humanissimæ
illorum inuitationi, & hanc quasi prouinciam in
me suscepi, implorato imprimis ad eam auxilio illius,
qui quod nos gerimus, fortunare unus potest, cuius
fiducia functionem muneris mei propediem ingre-
diar, facturus exordium à libello de Anima Philip-
pi Melanchthonis Præceptoris nostri, tela quam
Schallerus contexere cœpit, non quidem rupta, sed
de sententia Senatus nostri suspensa ad tempus, quo
à nobis pertexenda, staminiq; quod superest adden-
dum erit. De me nihil dicam ipse arroganter, qui
à scenica & istrionica illa iactatione in uulgo tam
sim alienus, quàm qui alienissimus, ne forte defectus
meos uerius ἐκθεαῖζεν uidear, quàm probare alijs
uelle uoluntatem & studium meum. Multa sunt
profectò in hoc doctrinæ genere, atq; adeo multa
cuiusmodi, ut ab humani ingenij sagacitate, mentis
acumine atq; intelligentia, non secus resiliant, atq;
æs ferrumue sibi inflictum. Proinde de me præter
fidem & diligentiam ferè nihil habeo ijs policeri,
qui mihi aurium operam daturi sunt. Genus do-
ctrinæ commendat ipsa antiquitas. Planè enim mihi
peruasum habeo, esse ipsam omnium primam atq;

anti-

antiquissimam, in qua occupatus fuit πρώτοπλα-
σοῦ ille, qui quanto propius ab ortu aberat, tanto
perfectiorem totius naturæ ἐπιπείειαν habuit, cui-
us documentum ac specimen postea euidenter edidit,
imponendo sua cuiq; creatæ rei nomina: Quod etsi
secundum Theodoretum argumentum est ἡγεμονίας,
hoc est, potestatis ac dominatus, homini in omnes
res à Deo dati: attestatur tamen simul de sapientia
ἔνθα acumine mentis humanæ, quo in statu illo abdi-
tiores rerum proprietates formasq; rimari penitus
atq; introspicere potuit, quarum etiamnam aliquas
umbras nobis in ipsis nominibus deprehendere, ac
procul aspiciere, ἔνθα uehementer admirari licet.

De necessitate ἔνθα utilitate Physicæ dicendi alius
locus erit. Esse autem uitam quam hic degimus,
planè ἀβίωτον sine cognitione illius doctrinæ, in
qua δυνάμειωρ siue uirium animæ descriptio, ἔνθα
ἡγεμονία est ad diuiniorem illam sapientiam,
quæ ad meliorem uitam in cælo deducit, ἔνθα lucem
affert legibus, quarum regula mores quenq; suos
metiri oportet, id uerò obscurum esse neq; potest,
neq; fortè etiam debet ulli, qui quidem sanus, non
sui ipse negligens, neq; planè brutus fuerit. Ecquid
enim censes istiusmodi hominem bruto pecudum
generi interesse, si à specie saltem discesseris, præ-
ter quam humani nihil habet? Atqui ne hanc qui-
dem ipsam nosse satis potest doctrinæ illius admini-
culo destitutus. In Charmide Plato testatur pro-
phoribus templi Delphici ab Amphictionibus inter-

tria illa sapientum maximè celebria, ac digna Deo
 uisa apophthegmata, primas illud tenuisse, γνῶθι
 σεαυτὸν: Quæ tanquam Dei salutatio ad homines
 profectò non tantum ad minuendam arrogantiam
 fiebat, uerùm ut quanta sua cuiusq; bonorum supel-
 lex esset, probè nossimus. Apostolus ὡπὸρ δὲ ἀδύ-
 τῃ τινὸς ἕκαστὸν ἀποφθεγόμενον & inculcat
 corpori suum esse honorem habendum. Quì autem
 id fieri queat, si corporis rationem nescias? Quo
 magis in amorem Physices accendi, & in eius exer-
 citationem studiosius incumbere iuuentus debet.
 Ego id operam dabo, ut expectationem, quam de me
 auditores concepère, saltem sustinere ac tueri, si mi-
 nus uincere possim.

PP. IIII. Calend. Maij,
 anno 75.

STVDIOSOS EIVS PAR-
 TIS DOCTRINÆ PHYSICÆ,
 quæ de Anima pertractat,
 εἰς πρόπαιον.

HOMO ex animo constat & corpore, ideoq; ab
 antiquitate uelut in confinio statuitur, εἰς μεθο-
 ρίους ἑκατέρωθεν φύσεως, seu (ut Serron interpre-
 tatur) ὡς μεταξὺ ἀθανασίας καὶ θνητότητος,
 καὶ οὔτε τὸ ἓν, οὔτε ἕτερον. De anima quidem ue-
 rum est, conditam esse eam ad immortalitatem, ac
 tum

tum etiam manere superstitem, & degere, postea-
quam corporis custodia liberata est. Corpus etsi ex
elementaribus, quæ sua natura εὐμετάβλητα sunt,
ortum ducit, neq; tamen ipsum perisset, nisi homo,
permisus sibi, ac relictus in manu sui consilij, θελα-
γύτῃσι diaboli cessisset, seq; à cupiditate uinci sua
passus interdētum diuinum uiolasset, adeoq; morti
ianuam patefecisset, quæ ob delictum in naturam per-
uadens, diremptum facit corporis & animi, quorum
nexus prius erat arctissimus.

In animæ οὐσίᾳ, quantopere sese torqueat mens
humana, & quam nihil μονιμὸν reperiat, ut in eam
peruestigationem acies ipsius sese maximè exacuat,
dictum est iam antè à nobis persæpè, ac præcipuè in
primo aditu uestibuloq; libelli præceptoris nostri.
Antiquiores Philosophi ψυχῶν ferè tribus finie-
runt, κινήσει, αἰσθήσει, ἄσώματῳ, ut qui persua-
sum sibi haberent, posse secundum illa de animæ na-
tura optimè constitui. Et hi quidem concludunt,
animum aut σῶμα esse, aut ἄσώματον. Aristote-
les (cuius nimiam in commentatione animæ atq; in-
temperatam sapientiam Philo Platonius quasi re-
prehendere, & subaccusare uidetur) alio ingressus
itinere, animam neq; σῶμα facit, neq; ἄντὶ σῶ-
ματὸς, eamq; ita describit, ut non tam dicat, quid
sit, quàm quid ea in corpore tanquam suo organo ef-
ficiat. Ferè autem omnes quasi capitis damnatos
animos mortales faciunt, ac prorsus interimunt, pau-
cis exceptis. Stoici etsi usuram nobis tanquam cor-

nitibus largiuntur, ac animos fatentur diu mansuros,
ualidos præsertim atq; robustos, quos ad illam ab
ip̄is iactatam ἐκπύρωσιν reseruari interdum, im-
be illos uerò dissolui multò citius affirmant, sempi-
ternitatem tamen ijs abnegant. Nam & mundum
ipsum tempestiua maturitate quasi uietum, aut effœ-
tum senectæ, aliquando interiturum seu eluione, seu
deflagratione, ac postea renouatum iri, similibus ar-
gumentis collegerunt. Hoc enim Stoicum certè est,
animum esse πνεῦμα θερμὸν, quod quidem non mo-
do corporeum hunc, sed planè compositum efficit,
de igne & aëre. Cumq; compositorum dissolutio-
nem aliquando futuram, unum sit ex euentissimis,
profectò & ipse dissoluatur necesse est, nisi aliquis
iudicium suum impedire patiatur uinculum Platonis-
cum, non illud, cuius interiectu naturæ disparces in
homine continentur, hoc est, in quo consistit corpo-
ris animiq; communio, (Academicis id est corpus
illustre, purum, proportione respondens elemento
stellarum: Aristoteli calor: Alexandro innatus spi-
ritus, in quo anima tanquam degit) quod ne quidem
sese, nedum animum, quem corpori duntaxat anne-
ctit, ab interitu uindicare potest: sed (quemadmo-
dum Timæus uinculum illud accipit) ἑλκωσιν θεῶν,
δεσμὸν κυριώτατον: quo nos quidem, qui ciues
sumus Ecclesiæ Christi, certum habemus & multò
certius, quàm Timæus Platonis, non tantum aduer-
sus fata mortis animum seruari, sed & corpus, quod
destructum & in cineres redactum est, mortis post-
liminio

liminio uitæ restitutum, animæq; rursus deuinctum
iri, tam arcto foedere, ut ab ea in perpetuum absolui
nequeat.

Quo de, perinde ut de animæ ουσία, non ratio
humana, sed sacræ literæ consulendæ sunt, interim
illa curiositate, quæ in hac, & alijs in rebus à natu-
ra abstrusis, ἐπιτελεσέσθαι γινώσκοντες καὶ πληρο-
φορίαν desiderat, coërcita atq; repressa, uel ablegata
in uitam & scholam alteram superiorem, in qua si-
mul idea operum mundi, simul consilium δημοσίου
penitus introspicitur.

Cæterum natura corporis, quod est Platoni
ὄχημα ψυχῆς, sic satis est obuia, sensibusq; expo-
sita: in quo insunt tria, de quibus coagmentatur mo-
les ipsius: partes solidæ, humores alimentarij, &
cum impetu, ultro citroq; ruentes spiritus: Græcis
ἴχοντα, ἰχόμωα, ἐνοσμοῦντα. Quæ mihi pulcrè
complexus uidetur Hippocrates, cum affirmat in
corpore esse μίαν σύμπνοιαν, μίαν σύρροιαν,
καὶ συμπαθία πάντα, licet aliquanto obscurius,
& caractere prorsus Laconico, quem addidicisse
perhibetur, cum perlustrata Græcia apud Lacedæ-
monios aliquandiu commoraretur. Hos enim So-
crates in Protagora Platonis refert, consultos de sa-
pientia, uerbum breue ac contortum ciaculari soli-
tos esse, qui arbitrarentur huiusmodi concisas sen-
tentias & symbola, à nullo, præterquam eo enuncia-
ri posse, qui eruditam & solidam doctrinam esset
consequutus. Eum igitur Laconismum in hoc apho-

F S rismo

rismo expressit Hippocrates. Conspirant autem inter se ad tuendam corporis nostri incolumitatem spiritus: pariter fluunt humores in uenis confusi: Tota partium solidarum respublica quam arcto foedere iuncta sit, & quadam communitate inter se ciuili consociata, morbi conuincunt, & adumbrat idem Liuianus Agrippa in intestina corporis seditione. Foedere enim illo morborum seuitia interrupto, dissolutoue, aliâs partis unius pluriumue, alias uniuersi salus incipiti est. Quo planum fit partem unamquamq; ita suam esse, ut nihilominus & ministerio aliarum etiam esse possit. Quid quod omnium istorum inter se conspirans quaedam est & continuata cognatio & officiorum communicatio. Humores enim tum partes solidas nutriunt, tum ex se spiritus proferunt, quorum uigor humores uicissim fouet, partes uerò extimulat ad nauiter obeunda sua munia. Vtrisque partes meritam persoluunt gratiam, accepti beneficij haud immemores, quando alimentum tota sua substantia, insitaq; proprietate conficiunt. Hinc enim ille tam uber succorum in corpore prouentus, quo & absumpti humores instaurantur, & spiritibus, qui defluxere, subinde noui successores surrogantur: absq; qua officiorum uicissitudine & mutua beneuolentia esset, neq; Reipub. membrorum comneatus atq; annona, neq; animo uirtus constare sua posset.

Sunt qui terna hæc nostri corporis principia in unicam humoram massam conijcere se posse putent,
quod

quod illi tenuiore sui parte caloris ardore in spiri-
tus, crassiore uerò in substantiam partium facessant.
Sed hi oppidò falluntur, quia nec omnis spiritus ex
alimento profilit, neq; ex eo, præter molem, partibus
quicquam accedit. Prima enim harum ἰχνοῦσα
φία, adhæc spiritus nobis insitus, non ex sanguine
deducitur, sed è semine, quod natura, simul atq; fœ-
tus conformationem instituit, in tenuissima stamina,
uescis araneorum similima digerit, suis lineamentis
partes similes adumbrantia, ac iam tum, ut humore
primogenio, ita spiritu ἐμφύτω prædita: quibus
dein interspersus sanguis maternus, lacunas & ina-
nia loca infert, substantiamq; carnosam siue molem
perficit, quæ in adultis deinceps ab alimentario suc-
co sustinetur.

De his duobus igitur, hoc est, de animo, &
corpore tyronem autor noster ita hæcenus erudit,
ut non strictè methodum teneret, sed contra artis
præscriptum eam inuerteret, in gratiam tamen &
commodum discipulorum, quorum captui posse inser-
uire, docentis in schola non minima laus est. Animæ
definitioni confestim subiungi oportebat δυνάμεις,
(potentias uulgus uocat,) quas ipsa de sinu promit
suo: Verum illarum naturam assequi licet nemini,
cui non probè nota prius sit totius corporis historia,
& œconomia singularum partium illius, quas anima
afficit, uiribusq; ad operandum idoneè perfundit.
Quî enim quæso, ἀδικοῖς ἀκρίβησιν quemadmodum
fiat, aut intelliges ipse, aut de ea docebis cum fructu
citraq;

citraq; impedimentum alios, si nescias, quâ aër, soni
uehiculum, meet? Quid in itinere pulset? ut pulsatum
ab eo personet, strepitusq; imaginem interno aëri
communicet? per quos hic deinceps cuniculos atq;
meandros, quo uectore traiciatur ad commune sen-
tiendi principium cerebrum? proin isthæc prius
nota sint, necesse est, cæteroquin in cursu lectionis,
quam pleno passu ingressus es, subinde hæsitare co-
geris atq; subsistere.

Tam arctè uerò in hac interrupta methodo au-
tor singula membra connectit, ut uix latum unguem
ab orbita deflexisse uideri possit. Etenim digressus
ab anima, corpus aggreditur, in cuius historia prin-
cipiò, tanquam fundamenti loco, ponit partes soli-
das: Mox humores, qui hospitantur in illarum spa-
cijs atq; cavitatibus: Tum spiritus, qui de humori-
bus à calore eduntur. Partes solidæ, naturæ sunt
densioris, spiritus tenuioris, Humores inter utrosq;
mediæ, quibus loca consentanea cedit noster autor.
Ac ne in hac serie quicquam quasi rimis fatiscat, ne-
ue uspiam relinquatur hiulcum, spiritus in confinio
collocat corporis & uirium animæ, tanquam proxi-
mos animæ ministros, quorum subsidio & famuliz-
tio illa uires exercet suas, utens partibus uice ora-
gani atq; instrumenti, ut hoc modo, quæcunq; fiunt in
animato corpore, non corporis opera sint, sed animæ.
Aliter enim effici illa usq; possent, quàm diu sua sala-
tem integritas, si minus uita atq; incolumitas partia-
bus constaret, cum in mortuo profectò nihil tale de-
prehen-

prehendere liceat. Quapropter ut ille Lacon apud
Plutarchum ait, ἐνδ' ὄψ' ἔϊναι, quod in corpore
ista praestet. Et Plato rectè, non oculum cernere
disputat, neq; aurem audire, sed animam cernere &
audire, per eas partes, quæ illius quasi fenestrae sunt,
quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi eadem uac-
cet, id solum agat & assit. Sæpenumero enim aut
cogitatione, aut aliqua uis morbi impediti, apertis
oculis & auribus, nec uidemus nec audimus. Qua-
re Cicero etiam sequutus Platonem in Tusculanis
negat sensum esse in corpore, id est, corporis: Ani-
mus enim est, qui sentit. Et notum est illud Hera-
cliti, ὄψ' ὄψ' ἔϊναι, ὄψ' ἀκρόα, Mens uidet, mens audit:
unde & ἀκρόαται uolunt dictas, quasi εἰδέσθαι,
quia sunt quasi uascula, quibus intro ad animum de-
portantur, quæcunq; foris incidunt.

Ne uerò animatum, iamq; omni sui parte abso-
lutum corpus, quasi quoddam δὲ ἀμβλωμα siue
abortum, suis defectum uiribus, proposuisse uidea-
mur auditoribus nostris: ea quæ in libello Dn. Prae-
ceptoris, cui titulum fecit de Anima, porrò sequun-
tur, statim à nobis non ita dudum rupto, Deo uo-
lente incipiemus attexere, die ab hoc octauo: Idq;
de consilio eorum, qui publicam doctrinam in hac
schola constituunt, & imprimis uerò Magnifici Dn.
Rectoris, qui uehementer hoc ipsum à nostris audito-
ribus rogatus est, nobis ut iniungeretur coepti ope-
ris continuatio: quibus duximus significandum pu-
blicè, nos quicquid penssi adhuc reliquum est, id omne
hyberno

hyberno hoc semestri esse absoluturos. Si qui sunt in grege studiosorum, quos hæc φυσικώτατα delectat liberaliter, quibus sua item ualetudo curæ est, uti esse certè debet unicuiq; ij ergo poterunt sese nostris adiungere, & una cum his aurium operam nobis dare: quibus, ut abundè non satisfecerimus, indignum tamen iisdem nihil proferemus. Neq; futurum speramus, ut operæ studijue huic parti Physices nauati poenitere ipsos unquam possit.

PP. prid. Iduum Octob.

Anno 76.

2
t
i
a
a
a
s



Fl 2450

ULB Halle


3


003 140 27X



IA 70L

MA





2

Orationes duæ,

PRIOR

DE STUDIO DO-
CTRINÆ PHYSICÆ, ET EO
libello, qui de anima inscri-
bitur;

POSTERIOR

DE BILE EXCREMEN-
TICIA, NUM E SVO FOLLI-
culo in intestina profusa ammisceatur
cremori ventriculi, in eadem illabenti,
suaq; ipsum contagione con-
taminet.

Habitæ & pronunciatae VVitebergæ à
SALOMONE ALBERTO Noris-
bergenfi, Philosophiæ & artis medi-
cæ Doctore & Professore
publico.

Adiuncta est QVÆSTIO, an ventriculus suo
cremore verè nutriatur.

VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich & Ana-
tonius Schön.

